



41

189



Sammlung

Ge. 15

DISPUTATIO INAUGURALIS
EXHIBENS
DIVERSA JURIS
THEMATA

QUA
OPITULANTE CHRISTO
OPT. MAX.
SINE PRÆSIDE.

(Electoralis super contraria hujus loci obser-
vantia impetrata dispensatione)

PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE PRIVILE-
GIIS ET HONORIBUS DOCTORALIBUS
RITE ET DECENTER CON-
SEQUENDIS

Solenni Eruditorum omnium Examine submittit

Die Martii horis locoque consuetis

JOHANNES FRIDERICUS
BÖCKELMANN STEINFURTO-WESTPHALUS.

HEIDELBERGÆ

Typis ÆGIDII WALTERI Acad. Typogr.
Anno c1o bc. LIX.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO

D. CAROLO
LUDOVICO,

D.G. COMITI PALATINO
AD RHENUM SAC. ROM. IMP. ARCHITHE-
SAURARIO, PRINCIPI ELECTORI, BAVARIÆ
DUCI &c.

PIO, FELICI, INCLYTO, PALATINATUS
GLORIÆ, ORTHODOXÆ RELIGIONIS ASTLI,
RESTAURATORI, CONSERVATORI
AUGUSTO.

Domino suo Clementissimo.

SERENISSIME. PRINCEPS ELECTOR
DOMINE CLEMENTISSIME

Ericulosas inter dubii maris undas gravi cum
diuturnitatis tadio, ad visum qui anhelant por-
tum peregrinantes, & acceptorum nomine beneficiorum
benefactoribus, si quos experti sunt, gratias agere, & in
futurum, maxime si ignota calcanda sit terra, ut quam
optimè commendati sint, solliciti esse assolent. Nec cul-
pando id nunc more cujuscunq; facultatis ferè observat
Candidatorum vulgus. Quem fugit, quantis Inaugu-
ralium Discursuum præfationes & gratiarum actio-
num & commendationum refert & sint formulis? *A*
me quidem studiorum hucusq; propitio Deo, cursum
emenso, ut peracto ex more tentamine privato, pro con-
sequendo in Utroque Jure Summo Gradu Disputatio
quadam à Magnif. Jctorum hujus Universitatis Or-
dine injuncta fuerit, tantum impetrare confidentia pri-
mò haud potui, quò Vestræ Serenitatis augusto, toti
orbi, a vito proprioq; Majestatico splendore venerando
magis dicam, an Principalis presentibus perfectionis or-
namentis admirando, stupendo Nomini, Inaugurales
hascerhapsodicas, momentaneas, inter varios negotio-
rum anfractus natas, accuratiore limà temporis defectu
defraudatas, inscriberem meditationes. *Vicit nihilo-
minus*

minus ambiguitatem rationabilis, quam magni semper
feci, consuetudo: permovet trepidantem Serenitatis
Vestrae rara in studiorum conatus propensio: impulit
denique qua Serenitatis Vestrae me humillimum ser-
vum insperato excepit, gratia. Impulit inquam, ut
perruptis timiditatis repagulis, tandem submissa, quod
parturiebam, gratitudinis prodere ausus argumen-
tum, chartaceum hoc levidense munus nunc Sereni-
tati Vestrae ea qua par est religione offeram: Mini-
mum est quidem, attamen ingenua gratitudine con-
diti devotissimiq; indicium animi. Supremo Domi-
nantium Domino turtur, Atarxerxi Persarum Regi
ex flumine repleta manus, rapulum Galliarum
magno Hero, nudaq; Ulyssis vota Alcinoo, Phaacum
in Corcyra Insula Imperatori, oblata placuisse legun-
tur: Vestra igitur Serenitas quicquid hujus etiam est,
clementissima acceptet manu, ab eo, qui cum aliter
litare non potuit, sic libare debuit. Deus autem Opt.
Max. Vestram Serenitatem per Nestora a lustra, deside-
ranti S. R. Imperio, votenti Orthodoxae Ecclesiae, pre-
canti Palatinae terra, propria crescenti felicitati con-
tinuandaq; gloria, omni benedictione perfusam, ser-
vet, protegat, tueatur, ex spe, ex prece, ex voto

VESTRÆ SERENITATIS

Servi humillimi

JOHANNIS FRIDERICI BÖGKELMAN.



MEDITATIO PRIMA.

Quod foelix & faustum Sacra
Trias esse jubeat!



IVERSORUM diversissima cùm de *Potestate circa Sacra* extent judicia, aliis tribuentibus eam aliis; ego politicae eam subordinatam, coadunatam Majestati, per axiomaticas demonstrare hypotheses animum induxi meum.

Axioma I.

Deus & natura auctores sunt humanae societatis.

Exegetis.

Supremum cunctarum rerum Architectum ipsiusque naturae patrem, mortalium animis inclinationem inesse ad civilis societatem vitae, extra dubitationis aleam est. Deus est, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo feritur. *Livius lib. 25. pulchrè Arist. 1. polit. 2. & 1. Ethic. 7.*

Axioma II.

Societas isthac absq; potestate consistere haud potest.

A

Exege.

2
Exegetis.

PRimigeniâ per protoplastos amissâ (Eheu!) humanarum mentium perfectione, quilibet, originali infectus labe, in malitiôsâ cupidinis & perversi animi præcipitatus abyssum, verâ bonitatis rectæque perforabat igniculos rationis. Exinde summa misceri imis, iniqua æquis æquiparari, furta, rapinâ, incestus, cæterorumque sentina vitiorum corruptis animis placere cæpere. Hos inter indomitâ mentis affectus, societates resque publicas inconcussas stare impossibile erat, nisi essent qui ad clavum earum constituti, activâ præditi potentiâ, recta justaque juberent, invitos ad ea cogerent, plecterentque, si qui delinquerent, prævaricatores. *D. Thom. 2. secundâ quæst. 104. art. 1. Lampad. de Rep. Rom. Germ. pag. 1. §. 9. Conring. de subj. & Imp. §. 3.* Illud sanè est vinculum per quod Respublica cohæret, ille Spiritus vitalis quem hæc tot millia trahunt, *Senec. de Clem. lib. 1. sine quâ nec ulla civitas potest stare, Cic. 3. de legib.* Quemadmodum enim armenta sine pastore errabunda vagantur, sic hominum societas sine Rege & Lege *1. Reg. 22. vers. 17. & ibi Petr. Martyr.* unde pulchre Hieron. de Cævall. in *Spec. comm. opin. quæst. 906. num. 77.* Imperium, ait, tam naturale, sicut flumina defluunt, fontes nascuntur, segetes crescunt, sol illuminat. Magnas ergo nugas agit Cardanus, quem refert *Mart. de Jurisd. pag. 1. cap. 6. num. 1.* aliique, qui imperia in terris à fato, aut extremâ stellâ caudæ Ursæ minoris, aut novis Copernici speculationibus signisve cælestibus, aut numeris dependere ajunt. *Reink. de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. cap. 2. n. 1. & 2.* Imò non est potestas nisi à Deo *Rom. 13. vers. 1.* Per me Reges regnant, testatur Jehova *Proverb. 8. vers. 15.* Quod prudentissimè Justinian. Sacrat. *Imp. l. 1. C. de vet. jure enucl. Nov. 61. N. 73. in præfatione,* Maximilianus I. in *X. A. in Wormbs*
Anno

Anno 1595. S. Ehrwürdige/ Carol. IV. A. B. in *præfat.* Carol. V.
 R. X. de Anno 1548. *pr. ibi* Aus außgelegetem Amte / dazu wirh vom
 Allmächtigen Gott beruffen seyn. & piissimè agnoverunt agno-
 scuntq; Principes in titulis : Wirh von Gottes Gnaden.

Axioma III.

Ea potestas majestas est, sive suprema &
 libera administrandi civilem societa-
 tem *divinis*, ad finem propositum.

Exegetis.

Societas cum alia verè proprièque dicta sit, in quâ scilicet
 finis propositus fœlicitas est omnium : alia impropria, in
 quâ non tam omnium civium, quam salus quæritur imperan-
 tium, nos hic de vera differere, oppidò notandum. Hæc est
 ad quam nulla vi coacta humanum genus ducit natura. Im-
 propria (quam fortè herilem rectiùs dixeris) interdum om-
 ni ex parte improba, iniqua, humanæque adversa fœlici-
 tati *Conring. de Maj. Civ. auth. & off. circa sacra. l. 2.* Sic
 ergo, cujus summa est in Republica potestas, communem
 procuret fœlicitatem oportet.

Quæ

Axioma IV.

Fœlicitas Reipublicæ sine Religionis
 curâ nequaquam esse potis est.

Exegetis.

VEL ipsos gentiles pedibus in hanc ire sententiam videre
 est apud *Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 20. n. 44.* Vale-
 rium Maximum *lib. 1. cap. 1. & 2.* Hinc Philo *de creat. magistr.*
 hanc artē regiam, quâ fœlicitas civilis carere non potest. Plu-
 tarch.

tarch. συνέλευσιν ἀνάγκης νεωτέρας καὶ νομοθεσίας ἐπεσφραγισμένην *coagulum omnium societatis & legislationis fundamentum*. Et Stagirita 7. *polit.* 8. effari non dubitavit: *prima Reipublicæ functio optima est cura sacrorum*. Platonem, Ciceronem, Senecam aliosque in hanc rem adducere plures, tanto duco necessario minus, quanto eorum consensus circa hæc major est & notior. Confirmant id etiam *Recess. Imp. in Regensburg de Anno 1532. rubr. Concilium beverfendit in fin. pr. ibi* darneben erfolgen würde / daß alle Zucht/ Ehre/ Gehorsam und andere gute Tugendt im Geistlichen und Welilichen gänzlich fallen würde. Et in *Regensburg de Anno 1566. §.* Wiewohl wir nun auff solches *ibi*: daran alle zeitliche und ewige Wohlfahrt hängt. Eorum porro, qui Christo nomen dedere, Politicorum, nec non sacrae paginae hinc cumulare testimonia, soli, mehercule, esset lucem subministrare. Si ergo terræ, hominum rerumque evitabitur confusio, religio curator. Unde

Axioma V.

Naturalis exigit ratio, ut quem penes est
majestas, ipsius etiam circa sacra po-
testatem habeat archite-
ctonicam.

Exegetis.

Naturæ jus dare ad id omne, sine quo obtineri non potest quod ipsa imperat, certissima est hypothesis. *Hahn. obs. theor. pract. ad Wesenb. de adoptionibus, ex Grotio de Jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5.* Nec minus certum, quod, qui ad finem destinatus, destinet simul etiam ad media *Arist. 2 Physic. t. 69* Ex quo quidem, civilium auctorem societatum, Deum puta & naturam, eidem circa sacra potestatem tribuisse architectonicam, cui

cui Reipublicæ commisit felicitatē, sine dicta potestate minime consistentem, cuilibet colligere in proclivi est. Concesso Imperio, similive, concessum videtur omne id, sine quo prius expediri non potest. *l. mandatum. fm. ff. de off. ejus cui mand. l. 3. §. qui habet. ff. de servit. rustic. præd. l. 2. ff. de jurisd. l. 1. §. 1. ff. si usufr. petet. cap. præterea ext. de off. deleg.* Atq; alia

Axioma VI.

Tributum ita politicæ Majestati hierarchiam sanctio non ademit divina.

Exegetis.

SACRORUM, de quo dissero, cui competat jus, ex superioribus manifestum me dedisse haud dubito. Cui si id ademptum eas, mutationem objiciens, ea certè facta erit constitutione aliquâ divinâ aut factò humanò. Illam si dicas, (de hac infra) expressam, planissimam omnique contradictione evidentiore vel ex hoc oportet esse capite, quod sanctissimum Numen, jurgiis discordiisque dubiâ sanctio aperire fenestram, nemo credere possit, nisi qui illius & in civilem concordiam ignoret propensionem, & in Constitutionibus perfectionem. Expressâ, inquam, non ægrè corrasò, aut perperam explicatò divini juris locò, ad hanc (si quæ prætenditur abrogatio) opus est sanctio. Ast tantum abest abrogatoriam illam ex sacro Codice elicere Constitutionem, ut etiam is conjunctam cum Politicâ potestate Ecclesiasticam, junctæque ita tam à clero, quam laico obtemperandum esse non obscure innuat. *1. Petr. 2. vers. 13. ad Rom. 13. vers. 1. Matth. 22. vers. 21. Deut. 1. vers. 16. 17. & 29. vers. 10. & 31. & ubi non? Conring. de Maj. Civ. off. & auct. circa sacra. 6. 34.* Unde & in veteri id receptum Ecclesia præter alios, constanter asserunt

Talmudici, Selden. *de Synedr. part. 3. cap. 1.* qui licet aliàs suam decoxerint fidem (uti optimè ostendit Conring. *de Polit. & Repub. Hebr. 9. 24.*) hic tamen à sacrâ paginâ non alieni sunt. Illustre ad rem Exemplum est Regis Josaphat, qui collapsam disciplinam instauravit, & Principes viros & Levitas misit, ut jura docerent & legem. 2. *Chron. 17. vers. 7. & cap. 19. vers. 8.* cum quo tamen Jehova fuisse, quique in viis Davidis ambulasse dicitur, *d. cap. 17. vers. 3.* Saulem, Davidem, Salomonem, Rhebeamum aliosque quid narrem? vide Conring. *de Maj. Civ. off. & auth. 9. 49.* Heic nunc primò eorum delirus damnandus est error Fanaticorum, qui magistratum totum divino contrariari juri effutire non erubescunt. Ægri somnia, & ulteriori confutatione indigna! Secundò fugiendus hic grex Hildebrandinus, eorum puto turbam Papicolarum, Pontifici hierarchiam, gladium, fasces tribuentium, ab Hildebrando, aliàs Gregorio VII. Pontifice condictorum, qui circiter annum 1075. primus (à nemine enim antecessorum tentatum scribit Onuphrius Panvinus) nefario ausu hoc evomuit dogma: Pontifici circa sacra competere potestatem, ut etiam exinde Reges regnò pellere, etiam ob inidoneitatem, (quod à se factum gloriatur Zacharias *cap. alius 3. caus. 15. quest. 6.*) quin & vitâ privare, & nescio quid non in dominantes audere possit. Verba Gregorii apud Syring *de pac. relig.* feruntur hæc ad Cardinales & Clerum: *Agite Apostolorum Principes, & vestrà auctoritate, quod dixi, confirmate, ut omnes nunc demum intelligant, nos Imperia, regna, Principatus, & quicquid Principales habere possunt, auferre & dare posse.* Hoc illud $\pi\epsilon\omega\tau\omega\ \psi\omega\delta\theta$, unde, tanquam Curtio è lacu, evaporant Reb: publicis exitiosissimi hi Spiritus. Papa rotunda potest mutare quadratis. Hostiens. *in cap. 12. extr. de judicis.* Ex injustitiâ justitiam facere. *Dd. in cap. 69. x. de Apell.* Omnia pro libitu disponere. *cap. cuncta & seqq.*

segg. caus. 9. quaest. 3. Contra jus, & supra jus, & extra jus, & in summâ, omnia & super omnia dicitur esse Philipp. Dec. & Bald. *in l. 3. de offic. Prætor. cap. 4. de concess. præbend. cap. 4. de caus. poss. & propr.* Deus appellatur *cap. satis Dist. 96.* Deus in terris Bald. *in l. ult. C. de sent. resc.* Numen quoddam visibilem Deum præ se ferens *Gloss. in præf. Clem.* Major omni aliâ creaturâ, cujus potestas se extendit ad cœlestia, terrestria & infernalâ. *Ant. Florent. part. 3. tit. 22.* Cui, si innumerabiles animas in gehennam detruderet, nemini dicere liceret, Papa quid facis? *cap. si Papa Dist. 40. cap. oves. caus. 2. quaest. 7. cap. 7. Dist. 21.* Plurium ineptiarum piget: uti & quisquillas, turpissimo huic firmando adduci solitas fundamento, pressius nunc examinare nec libet nec licet. Certè impiissimi hujus asserti consequentiæ quoties non Romanum innocuo tinxere sanguine imperium? Prima in Henricum IV. cudebatur faba, non tamen sine magno auctoris malo. Eodem monstroso novæ istius potestatis mucrone à Cælestino III. Papâ petitus Imperator Henricus VI. ab Innocentio IV. Fridericus II. Alii ab aliis, ut quidem ab improbissimi istius dogmatis Structoris ætate ad Ludovicum Bavarum, sub prætextu commendatæ sacrorum curæ, miserè afflictos Imperiove exutos videas Imperatores, teste Molinæo *in scuto fid. art. 40. sect. 40.* Idem virus Galliam, Angliam Hispaniamque malè habuisse ex historiis constat. Græci id jugi repudiârunt his verbis Johanni XXII. Papæ scribentes: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos, firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus: Diabolus tecum, Dominus nobiscum.* Syring. *de pac. relig.* Tertiò divortium etiam ab iis faciendum, qui non quidem uni Pontifici, sed Episcopis majestatem tribuunt circa sacra. Quam sententiam fovent in Galliâ plurimi, qui Pontificem Romanum

num

num Episcoporum aut subjiunt concilio, aut non nisi caput agnoscunt ejusdem. Quin & quartò, istis non accedendum (quod pace magnorum virorum dictum esse velim) Reformatis autumo, qui Ecclesiæ Ministris Pastoribusq; id potestatis tribuere satagunt. Cum enim potestas sacri cultus *ἡ ἐξουσία τοῦ κληρικοῦ* consistat, partim in potestate ferendarum legum positivarum, quibus adstringantur cives, ad casque, nî pareant, cogi possint; partim in ipsâ cives cogendi potestate, ut juri sacro, sive divino sive naturali obtemperent; gladio hîc certè, fascibus, similibusque opus est Imperii requisitis: quæ tamen ipsis denegata esse Apostolis, nec modernis competere Presbyteris, haud difficulter probare est.

Nam I. gloriosissimum Salvatorem Apostolos suos non aliter misisse constat, quam missus erat ipse: ipsum autem ad exercendas fasces, gladium aut jurisdictionem in terrâ missum non esse, uti apertus textus docet, *Johann. 18. ibi: Regnum meum non est de hoc mundo*, ita & sanctissimi ejus indubitatus id reddunt actus: omnia namque quæ oportuit, præstitit. *Johan. 19. vers. 28. & c. 29. vers. 30.* potestatem tamen majestaticam exercuisse animadvertere non datur.

Sic II. Apostoli ire, docere, prædicare jussi sunt, altissimo de potestate summâ habitò silentiò *Matth. ult. & Marc. ult.*

Quin III. id ipsis interdictum, præter superiora, firmat textus *Luc. 22. vers. 25. ibi: Reges gentium dominantur iis, & qui auctoritatem habent, benefici vocantur; vos autem non sic, & I. Petr. 5. vers. 3. Pascite Dei gregem qui penes vos est, non ut dominantes Cleris.*

Quibus IV. accedit constans primitiæ in hanc rem sententia & doctrina Ecclesiæ, teste *Conring. d. Diss. de Maj. Civ. auct. & off. circa sacra th. 40.*

Et V.

Et V. etiam Christianorum Imperatorum, ad stipulantes Episcopis, usurpatio, de qua statim, ubi de Constantino. Quid hisce clarius? quid fortius? Maximè quoniam

Axioma VII.

Nec humanò factò divortium summæ
circa sacra potestatis à Majestate
politicâ confirmatur.

Exegetis.

PENITENS, quæ adduxi hætenus, inspectis fundamentis, neminem esse persuasissimum habeo, qui sincerè judicans mihi non largiatur ultrò & à Deo naturâq; tributam esse politicæ potestati circa sacra vim Architectonicam, & confirmari eandem SS. Scripturæ locis uti compluribus, ita satis expressis. Res esset expedita, nisi obstaret, quod à natura & Deo tributa, humano sæpè transferantur, restringantur, alienentur factò, & id justè, teste accurato juris gentium observatore Grotio. Tali autem factò heic nullo obstante, Principibus viris factum tectum suum etiamnum circa sacra constare jus, nunc probatum dabo. Factum allegari video à dissentientibus aliis expressum (expressam scilicet translationem) aliis tacitum, quo nempe seu tacito consensu, non usu ac præscriptione, à Majestate politica ad Ecclesiasticos transiisse dicitur circa sacra potestas. Expressam, præ cæteris, urget concessionem sibi factam Pontifex Romanus à Constantino *cap. 13. & 14. Dist. 96.* ubi non tantum sacra, sed & politica summa potestas concessa legitur. Verum enim verò, præterquam quod vis hujus prodigiosæ profusionis & alienationis meritò disputaretur, cum Imperium non sit in marsupio Principis. Bald. *in cap. intellectu x. de jurejurando. Dd. communiter in l. bene à Zenone C. de quadrienn. præscript.*

B

largi-

largiatis istius fabulosam haud temerè quis dicat historiam. Facit id 1. taciturnitas Historicorum: *Eusebii, Socratis, Theodorici, Evagrii, Rufini Eutropii, Orosii, Bedæ, Zonaræ, Nicephori*, quos recitat Anthon. Math. 2. quod in antiquis decretis hæc capitula non extant. 3. Quod contrariantur *cap. Ego Ludovicus Dist. 63. & cap. futuram caus. 12. qu. 1.* Contrariis autem ejusmodi scripturis nulla probandi vis est, 1. *scripturæ C. de fide instrum.* 4. Quod ipsi Pontificii falsitatis arguunt hanc rem. Sic Æneas Silvius, post Pius II. accepto Pontificatu dictus, in dialogo suo stolidos appellat legistas de validitate donationis disputantes, cum nunquam facta sit. Quem sequuntur Crantz. in *Saxon. lib. 2. cap. 1.* Anton. Florentin. *part. 1. chron. tit. 8. §. 9.* Alciat. *7. parergon. 19.* Vasqu. *illustr. quæst. 1. cap. 5.* Bodin. *lib. 1. cap. 9.* Lepidum est quod Veneti, quærenti Pontifici de jure eorum in mari Adriatico, mirari se, respondere, sanctissimum patrem isthæc ignorare privilegia, quæ tamen exteriori Constantinianæ donationis, majusculis literis inscripta membranæ, Romæ cautissimè adserventur Dn. Camerar. *hor. succis. part. 1. cap. 61.* Validam aliam expressam remissionem nemo (*teste D. Conring. d. Disp. de Maj. Civ. auct. 0. 18.*) hætenus dixit, & si diceret, repugnaret historiis. Gravius fortassis æstimabitur quod ipse supra violentos actus Hildebrandinæ Monarchiæ ab Henrici IV. temporibus, ad Ludovici Bavari ætatem, ab anno 1075. ad annum circiter 1320. retuli. Quod tempus uti anteriorem agnoscit Paparum dignitatem, (patribus testibus) ita à moderna etiam excipitur adhuc potestate, docente experientia. Verum enim verò primis duobus à Salvatore Sæculis, ut ab initio rem repetam, pressa sub gentilibus Imperatoribus & sanguine velata Ecclesiæ facies Ecclesiasticam planè ignorat Majestatem. Sub Constantino respirare cœpit; Imperatori tamen ut subjecta: licet ab eodem, uti primo

primo religiosissimo & magno Episcoporum cultore, maxi-
 mis affecta honoribus sit : Majestatis tamen illi ne ^{per} com-
 municatum est circa sacra, sed Episcopos judicavit ipse : *Euseb. Hist. Eccl. lib. 10. cap. 5.* Ipse celeberrimum propria au-
 ctoritate coegit Concilium Nicenum, *Eusebius de vita Con-*
stant. lib. 3. cap. 6. Praefuit ipsi Concilio *d. lib. 3. cap. 13.* Epi-
 scopos in exilium ire iussit : Arium, Eusebium Nicomedien-
 sem & Theognidem *Socrat. lib. 1. cap. 5.* Primum & ultimum,
 in Concilio quod coegit Tyri, restituit, rejectis rursus qui
 suffecti erant *Socrat. lib. 1. cap. 10.* Denique rationem ab E-
 piscopis exegit in omnibus *Socrat. lib. 5. cap. 20.* ut nec, se in-
 scio, discedendi ipsis fuerit copia. *Euseb. lib. 3. cap. 20. D.*
Conr. d. l. Ibi verè coadunata potestas tam Ecclesiae consu-
 lebat quàm Imperio, tam Imperio quàm Ecclesiae. Simili
 Majestate Magni hujus natus Constantius, ejecto Liberio,
 substituit Felicem *Theodoret. lib. 2. cap. 16.* Honorius Eulalio
 Bonifacium Anno 420. Belisarius, nomine Justiniani, Silve-
 rio Vigilius Anno 538. Repudiato rursus Vigilio Justinia-
 nus restituit Silverium; at impudentiorem ob loquelam mi-
 sere dedolari & nunc semivivi laqueo amiciri cervices, toti-
 usque Constantinopolitanae urbis ignominiae iussit exponi.
Molin. scut. fid. d. l. Hic tamen ipse est Imperator cui piissi-
 mo religiosissimo *l. 1. § 2. C. de Praef. prat. urb. Afr. Nov. 9.* de
 pietate singulariter sollicito *l. fin. C. ubi senator Nov. 14.* no-
 ctes insomnes pro Imperii quiete ducenti. *Nov. 18.* Episco-
 pus Romanus ita rescribit : *Gloriosissimo & Clementissimo fi-*
lio Justiniano Augusto Johannes Episcopus Urbis Romae. Inter
claras sapientiae & mansuetudinis vestrae laudes, Christianissime
Principi, puriore luce tãquã aliquod sidus eradiat, quod amo-
re fidei, quod charitatis studio edocti, Ecclesiasticis Disciplinis
Romanæ sedis reverentiã conservatis. Plura & responsu vide
 Imperatoris in *l. 7. C. de summ. Trinit.* Hæc vera Majestas in
 sequen-

sequentibus Imperatoribus præluxit ad ortum usque Hildebrandinæ Monarchiæ, dictante Onufrio. Unde constat prioribus sæculis summis juribus ab Episcopis minimè præscriptum. Post idem temporis præscriptioni locum facerem, nisi obstaret 1. Continua mala fides de qua infra latius. 2. Cōtraria constitutio divina, contra quam nulla currit præscriptio Bl. in l. 2. C. de usur. c. cum ad audientiam c. cum venerabilis c. fin. ubi Dd. x. de consu. c. ad nostram de probat. c. ceterum de jurejur. Schurff. cent. 3. consil. 83. num. 11. 3. Interruptio sæpiusculè facta. In Imperio Romano, id docent plurimi Imp. Recessus. De aliis regnis testantur historiæ. Accuratissimè, uti cœtera omnia, ita & huc quæ spectant congescit Excellentiss. Dominus Hottingerus in *absolutissima hist. Ecclesiast.* Quin ipsi Canones Carolo Magno à Pontifice omnè prætensam fatentur concessam potestatem. *Can. 22. dist. 63. & Can. seq. c. nos si competenter 2. q. 7.* Apud Sleidanum *lib. 1.* sic Elector Trevirensis inquit. *Talem Respublica desiderat (sc. Imperatorem) qui præter alia constituat & emendat Ecclesiæ statum.* Hic certè ipse Ecclesiasticus Elector negligit Pontificis potestatem. Laudabilia item sunt Maximiliani I. hæc verba, utinam in actum traducta! *Nam domi docti scimus, & ita se res habet ipsa, nihil nobis honorabilius, nihil melius, nihil gloriosius obtingere posse quam si præfatum Pontificatum Maximimum ad nos propriè pertinentem Imperio nostro recuperaremus.* Cærpz. in *Epist. dedicat. Resp. Elect. præfixa pag. 1.* Carolus V. quantum sibi tribuerit in sacris constat ex Sleid. & Goldast. *const. Imp. 2. Recessibus Imperii de Anno 1521. 1524. 1526.* ejus in S. Darnach haben wir / edicit, etnem jeglichen in Religion Wesen also zu geleben und sich zu verhalten / wie Er es gegen G. D. u. und Keyserlichen Majestät (nicht den Pabst) hofset und vertrauet zu verantworten. Hisce addas acta sequentium Comitiorum, in quibus omnibus talem exercuit potestatem, ut Paulus III. (certè temerè) exposulaverit: quasi

quasi Imperator falcem suam in alienam messem immisisset
 Warem. ab Erenb. *de subsid. reg. pag. 17.* Similibus abundat
 Lipsitorpius in informatione & exclusione infrunitæ Monar-
 chiæ Papal. *per totum lib. 1.* Hæc utut sint: fatendum tamen
 plurimum hierarchiæ Pontificem inter Catholicos servasse
 status. Melior longè & certior Protestatiū, ut in aliis Regnis,
 ita in S. R. I. Principum & immediatorum statuum re. Nam

Axioma VIII.

Protestantibus Principibus & Statib. im-
 mediatis S. R. I. supremam circa sacra
 potestatem non tam tributam,
 quam restitutam, nullus in
 dubium vocare potest.

Exegetis.

Summus cœli terræq; Dominator, ubi ex immensa gratia cla-
 riorem verbi sui accendit facem, eam sequentes, hoc insu-
 per beavit beneficio, ut etiam naturalem suum circa sacra re-
 peteret potestatis locum. Religiosæ enim pacis transactione
 captâ Anno 1534. Passaviū Anno 1552. repetitâ, confirmatâ
 Anno 1555. multisque posterioribus comitiis tandem capite
 6. num. 17. pacificat. Monast. & Osnabrug. Anno 1648. in-
 novatâ, stabilitâ, octavum nostrum axioma ita firmatur, ut
 nullus id convulsurus sit, nisi legem turbet S. R. I. fundamen-
 talem. Hęc pax uti nec vi metuq; Gloriosiss. Carolo Statibus-
 que extorta Dan. Otto *de Jure publ. cap. 24.* Wurmf. *exercit.*
 5. §. 2. Pet. Syring. *de Pac. Relig. §. 15.* ita minime per Conciliū
 Tridentinum infirmata Wurmbf. *exerc. 5. §. 3.* frustra recla-
 mantibus Jesuitis & aliis quibusdam. Famosa hic à scripto-
 ribus Jurisp. moveri solet quæstio: recuperatis ita circa sacra
 juribus, corâ quo conveniendus ex Protestantibus Status, in

causa matrimoniali similive ad Pontificem aliàs pertinente?
 Quot homines tot ferè sententiæ. Alii Imperatorem, alii
 Austregas, alii Cameram, consiliarios eligunt alii, pars Eccle-
 siastico suo sese subjicere debere Consistorio, aut in alterius
 compromittere, pars ita censet locum Austregis esse, ut eli-
 gantur Ecclesiastici: de quibus omnibus Pet. Frid. Mind. *de*
process. lib. 1. c. 10 Zigler. *incomm. opin. §. Austregæ. conclus. 2.*
 Reinking. *de R. S. & Eccles. lib. 3. part. 1. cap. 10.* Ego, ut bre-
 vis sim, Vulteji *in l. 1. C. ubi Sen. vel Clariss. num. 49.* senten-
 tiam laudans decisioni pragmaticæ rem relinquo. Præ cæ-
 teris interim mediis ex natura potestatis, subjectionis ne-
 scia, tutior erit compromissi via. Ex his (quæ de Hierarchia
 breviter adduxi) Majestatis Politicæ vim non obscurè elu-
 cere, cognosci datur, quæ tamen ita intellecta velim, ut

Axioma IX.

Reverendissimo Ecclesiasticorum cætui
 coacto separato sua maneat auctoritas.

Exegesis.

NE quis quæ superius de potestate architectonica differui-
 mus alio vorsu trahat ἀθεόλογον me clamitet, aut certè Ec-
 clesiasticæ oblitu disciplinæ, (ut nunc vulgus solet ex mini-
 mis maxima, ex optimis colligere pessima) hoc nona hac &
 sequenti intendo hypothesi, ut naturalis à me explicetur ma-
 jestas, ne sancta Ecclesiæ Ministeriiq; lædatur auctoritas: hæc
 autem servetur ita, ne naturalis imminuatur potestas. Expli-
 catione terminorum res fiet apertior. Auctoritas est facultas
 in agente, movendi se ad arbitrium patientis. Potestas est fa-
 cultas ad obsequium obstringendi. Sic qui auctoritate pol-
 let, imperat, at non nisi volentibus. Potestatem qui habet,
 invi-

invitos etiam cogit. Hinc Salust. in Orat. de Rep. ordin. ad
 Caesarem. In duas ego partes civitatem divisam arbitror, sicut
 à Majoribus accepi, in Partes & Plebem; ante in patribus sum-
 ma auctoritas, vis multo maxima in plebe. Idem Livius lib. 7.
 Senatus eam pacem servandam censuit, & paucos post dies po-
 pulus iussit. Et Tacit. lib. 4. ait: In Germania Galliâq; Reges
 fuisse auctoritate suadendi non iubendi potestate præditos. Hæc
 est, quâ Ecclesiastici muniuntur auctoritas, quæ uti gladii fa-
 scium omnisq; coactive externæ vis expers, ita planè summe
 potestati politiæ subjecta & subordinata est, per superiùs ad-
 ducta testimonia: ita ut non plus potestatis sit Ecclesiasticis,
 quam medico in ægrotum, quam consiliario in Dominum, ut
 rectè dicat Petr. Martyr. class. 4. loc. 13. §. 9. *Politica potestas
 ad omnia extenditur quæ ad potestatem Ecclesiasticam perti-
 nent;* & class. 4. loc. 3. §. 5. & 6. *Una potestas, ut in Politicis, cu-
 rare debet, ut omnes officium faciant ut Jcti, ut Medici, ut Ru-
 stici, ut Pharmacopola: inter quos etiam numerare possumus
 Ministros & concionatores.* Et idem Martyr. in cap. 8. lib. 1.
*Sam. Ministri subjiuntur bifariam, quoad munus & ad fun-
 ctionem attinet.* Persuadere ergo poterunt auctoritatem qui
 habent: Imperare non nisi Majestate qui pollent. Sic pulchrè
 Arist: olim Medico curam pro imperio exercenti dicebat.
*Non me cura ut bubulcum aut fossorem, sed potius doce causam,
 cur ista præscribas, & ita demum habebis obsequentem.* Atque
 hinc si præceperint Ecclesiastici quid, deficiente robore Ma-
 jestatico divino humanove, nullum obstringi dixerim. Extra
 territorium jus dicenti impunè nõ paretur *l. ult. ff. de jurisd.*
 In Jure Civili auctoritas quidem non denegatur Ecclesiasti-
 cis, adè ut etiam consilium cõfirmatorium ab Episcopo de-
 siderarit, potestatem tamen sibi servarit Justinianus. In Nov.
 6. pr. Imperatoribus Imperium, Sacerdotibus Ministerium
 tribuitur, & licet in l. 7. §. inter claras in fin. C. de Sum. Trin. &

fide

*fide Cathol. Episcopus Johannes dicat quod nostrâ auctoritate confirmamus, & ipse Justinianus in §. reddentes sub finem, vestræ sedis crescet auctoritas, nihilominus tamen tam nihil Episcopis tum temporis cōpetebat potestatis, ut ipsi Impp. arbitrio ad flagella usque subjacuerint, uti supra dictum, nec anathemizare l. cum recta 5. §. 2. C. de Summ. Trinit. ubi Justinianus ait: Hæc igitur cum ita se habeant anathematizamus, similiter in l. 6. §. 7. l. 7. §. 5. d. t. Quin imò nec anathematizatum recipere, sed tantum apud Imperatorem humiliter pro tali intercedere potuerint. Unde sub finem d. t. Johannes ita scribit Imperatori. Obsecro Clementiam Vestram ut si proprio deposito errore & pravâ intentione depulsa, ad unitatem Ecclesiæ reverti voluerint, in Vestram communionem receptis, indignationis Vestræ removeatis aculeos, & nobis intercedentibus, benigni animi gratiam condonetis. Sic & ipse Justinianus, non Episcopus, jubet quæ religio sit servanda & quomodo l. cunctos populos 1. & seqq. C. de Summ. Trinit. Ipse decernit quinam in Catholicorum numerum recipiendi, quinam ob religionem puniendi d. l. 1. quænam scripturæ interpretatio recipienda Nov. 146. ibiq; Cujac. de Episcopis & Clericis t. t. C. N. 138. de Synodis quorannis habendis d. Nov. 137. & N. 123. De vita Monachorum & lectione scripturæ N. 5. N. 133. & passim. De hæreticis t. t. C. & N. 132. De Samaritis N. 139. & ubi non potestatem circa sacra exercuit? Fecerunt id ante ipsum Constantinus & complures, postq; haud pauci. Inter quos Henric. II. Angliæ Rex præcipue numeratur, non temerè, sed optimo jure constituens, ne ulla excommunicatio absque consensu Regis fieret, de quo Arumæus de jure publ. discurs. 30. cap. 3. concl. 38. Hos inter laudari etiam possunt Augustissimi Principes Palatini Fridericus III. qui Anno 1563. Johannes Casimirus qui Anno 1585. Fridericus IV. qui Anno 1603. pro potestate sua circa sacra; quid observa-
tum*

tum à Pastoribus & cæteris subditis velint, præceperunt diversis rescriptis mirabilique fœlicitate ordinationem Ecclesiasticam constructam promulgarunt. Idem & alii, qui omnes tam prisca quam neoterici Principes auctoritatem adhibuere Excellentiss. Theologorum; at persuasoriam, à consilio vix ac ne vix differentem, ita ut istiusmodi ordinationibus, sanctionibus parendum obijctionem duntaxat politicæ potestatis, utut deficiat applausus auctoritatis: Contra, parère necesse non sit, cessante illâ jussione, Vique quam supra dixi Majestatica, etsi id jubeat Theologorum cœtus. Proinde

Axioma X.

Authoritas illa, intra septa manens sua, uti politicæ potestati subjecta, auctoritatis limites ne excedito.

Exegetis.

Magna quidem Ecclesiasticorum est auctoritas. Ne tamen hac abutantur, aut fœdissimâ ordinum confusione quid potestati ereptum eant politicæ, sed auctoritate sua potiantur decenter. hasce cautè cautelas observandas duco.

I. Ne directò quicquam sibi sumant potestatis Ecclesiasticum Imperium ædificaturi in imperio sæculari, quod temerè aliquando tentatum cum periculosissimo sæpe Republicæ motu constat, cum tamen ipsis, docendum, baptizandum, non imperandum, parendum, non præcipiendum, ut ostensum supra.

II. Nec etiam per obliquum id sumant, potestatem, gladium & fasces Magistratui quidem, sibi autem judicium, an rectè hæc usurpentur, tribuendo: atque sic quod unâ viâ negatur, consequantur alia, contra regulam juris Canonici 84. Unde sic & Pareus *ad Rom. 13. Princeps verò debet de-*

C

fendere

fendere veram Religionem, falsam avertere, blasphemias & hæreses arcere, ergo debet hæc singula cognoscere & judicare ex officio, alioquin si gladium tantum ad nutum Sacerdotum stringere debet, sine cognitione & judicio, & sine omni quaestione, rectè se habeant judicia pastorum nec ne, quid erit nisi apparitor vel carnifex? qualem Judæi faciebant Pilatum, dicentes: nisi hic esset maleficus non tradidissimus eum tibi. Similia infinita testimonia & exerciti hujus judicii à Magistratu Politico exempla cumulare, hic nunc non licet. Quicquid sit, summum id judicium quoad forum externum circa sacra, ex naturâ potestatis, relinquendum magistratui, quem tamen hic Christianum præsupponimus. Quoad internum, cuilibet privato, cui id nec detrahunt Apostoli. Sic Petrus *Actor. 4. vers. 19. judicate ipsi* & Paulus *1. Cor. 10. vers. 15. intelligentibus loquor, judicate vos quod dico* & *1. Cor. 2. homo spiritualis judicat omnia* & *ad Thess. 5. Omnia probate quod bonum est tenete.* Quod & Canonistis placere, videre est ex Panorm. *in c. significasti x. de Electione.*

III. Ut talis servetur modus in adhibenda auctoritate, sive monendo sive consulendo, ne quid inde Ecclesia capiat detrimenti. Discretio adhibenda, maxime si cum eo res est, juxta August. *lib. 3. Epist. 4. cent. 1. qui sociam habet turbam, & facillè Rempublicam evertere potest. Præposterus est zelus qui cum Ecclesiæ ruinâ conjunctus est.* Unde durior fuit processus Ambrosii, ut quidam volunt, in immeritum Theodosium. Certe aliter Nathan Davidem aggressus est, unde optime Rivetus ad *Psal. 51. pag. 150. ait: quod ita zelo fervens honoris Dei, ut honorem tamen Regi exhibuerit, etiam peccatori, & fol. 151. Sciebat sanctus ille vir in corpore politico aliter esse curandum oculum, aliter pedem.* Huc spectat omninò quod Zepperus Theologus Herbornensis in *signis in arte sua habendi & audiendi conciones sacras lib. 2. cap. 12. pro*

pro regula decima octava ponit in Principum peccatis reprehendendis singulari opus esse iudicio & prudentia. Unde requirit 1. ut fiat à viris gravibus, integritate vitæ, senio & eruditione venerandis. 2. privatim potius quam publicè. *Adeo (inquit) ut seditiosum ferè sit Magistratum vitia liberius & rigidius ad populum insectari, & non privatim potius ipsum monere.* 3. cum moderatione & reverentia, *ut neq. divino suo officio desit minister, neque honore & fastigio quo Deus Magistratum dignatus est, ipsum destituat. Postulat hoc Paulus etiam 1. Tim. 5. 6. inquit, Senioreem ne increpes, sed adhortare ut Patrem ad quem modum Nathan Davidem de pessimis sceleribus reprehensurus per cuniculos quasi & in aliena persona adoritur ut fortius ipsum constringat & sententiam contra se à se ipso eliciat.*

4. Ne detur occasio tumultus, dissidii motuumque in Republ. In hunc finem à Marciano etiam data l. 4. C. de Summ. Trin. Et Recess. Imp. de Anno 1530. S. Wihr haben ibi: Die Prediger sollen sich mit ihrem predigen Unserem Abscheid gemäß halten / und fürnehmlich in ihren Predigten vermeiden und unterlassen was zu Bewegung des gemeinen Mannes wider die Obrigkeit / oder gegen ein ander zu verhezen dienen oder Ursache geben möchte / und Gottes Wort nicht nach eigenem Willen / Nutzen / Neid und Hoffart / oder zu Verführung der unverständigen gemeinen Leuten predigen / dazu sumphierens schmähens oder lästerens sich enthalten. Adde R. A. zu Spener de Anno 1542. S. Damit aber. In his & similibus sicubi exorbitetur ab Ecclesiasticis, non dubium est, ad Magistratum politicum pertinere in ipsos animadvertere, idque ex naturali ratione superius deducta, Vide Martyr. class. 4. cap. 13. num. 12. Processum autem contra ministros vid. apud Carpzov. Jurisp. Eccles. p. 3. tit. 9. & multis seqq. ubi def. 102. docet, quomodo Magistratus præcavere debeat ne motus ex concionibus

nibus oriantur & def. 103. quomodo ministri aliquando publice excessum suum agnoscere cogantur. Nihil tamen toto hoc nostro de externa potestate discursu disciplinae detractum volumus Ecclesiasticae claviumve potestati; quam quidem divino tributam jure *Matt. 16. v. 19. Matt. 18. vers. 18. Joann. 20. vers. 13.* & pulcherrimâ Heidelbergensi Catechesi *quæst. 82. 83. 84. & 85.* comprehensam, multisque Sereniss. Principum Palatinorum sanctionibus præceptam, illibatam relinquimus. Quæ potestatis internæ ut & quæ ministerii, certè aliena sunt ab ea de qua egimus architectonica potestate. Nefas esse duco in jura involare Sacerdotum: quos quidem Sanctus Gentium Doctor *1. ad Cor. 4.* dispensatores mysteriorum appellat Dei; quorum labia sapientiam custodiunt quorumq; ex ore requiritur lex *Malach. 2.* Quibus si quis superbiens auscultare nolit, morietur *Deut. 17. vers. 12.* Et qui bene præfunt presbyteri duplici honore digni habentur *1. Tim. 5.* Quod uti plurimis arrisit gentibus apud quas ipsi Reges exinde sacerdotia affectarunt ut notum ex historiis ita in jure nostro expressissimum; siquidem Imp. noster vix unquam sine honoris eos appellat præfatione maximi: nunc sanctissimos, Deo amabiles, venerabiles, reverendissimos, beatissimos, religiosissimos dicens *Nov. 3. N. 7. 9. 11. 81. l. 25. C. de Episc. & Cler. Nov. 83. Nov. 123.* ibi de sanctissimis *Episcopis Deo amabilibus & reverendissimis Clericis & Monachis.* Quin & Ecclesiasticum ordinem magnæ dignitatis esse auctor est Paul. in *l. non distinguemus 23. §. sacerdotio ff. de recept. arb.* ibi: *id non tantum honori personarum, sed & Majestati Dei indulgetur cujus sacris vacare sacerdotes oportet vid. l. 4. C. de injur. l. 33. §. 6. C. de Episc. & Cler. l. 13. ff. de excusat. & vac. mun. l. 2. ff. de injus voc. l. 17. 18. de procurator. c. 6. dist. 4. c. reperitur q. 1. caus. 1.* Certè cū tanto quis major ipse & honestior sit, quanto præest melioribus *Nov. 15. in fin. pr. Arist.*
1. polit.

1. *polit.* 5. non immeritò sacro huic cœtui tantum tribuitur honoris, totq; splendidissima conferuntur privilegia: Gaudent enim meritò 1. privilegio non dandorum fidejussorum in Ciyili & Ecclesiastico iudicio *l. cum Clericis* 25. §. *memorati*, *l. omnes* 33. §. 2. *C. de Episc. & Cler. vid. Gud. lib. 6. de iur. Noviss. c. 7.* 2. Repressaliis, arrestis, pignorationibusq; non subjacent *c. un. de injur. & damn. in 6.* 3. Immunitatem habent ab omnibus muneribus personalibus, quæ etiam volentibus ne quidem conceduntur *c. 2. de vit. & honest. Cler. l. 23. C. de testam. ibi absurdum est si promiscuis actibus rerum turbentur officia. opt. textus in cap. te quidem oportet caus. 9. q. 1. & cap. 29. caus. 1. q. 1. t. t. Ne Clerici vel monial.* Omnibus enim aliis relictis Dei omnipotentis inhærere debent ministerio *l. 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric. c. generaliter caus. 16. q. 1.* A muneribus tamen patrimonialibus ordinariis, in quibus magis res quam persona consideratur immunes haud sunt. *cap. si in morte vers. porro cap. tributum caus. 23. quæst. 8. Clem. 1. de censib. l. 6. §. 4. l. 18. §. 24. l. 2. C. de muner. patrim. l. 17. C. de SS. Eccl. l. 25. C. de Episc. & Cler.* Tempore necessitatis collectas non tantum exsolvunt, ut nunc ad turcicas tenentur *R. N. 1544. §. Und zu diesem Christlichen & de Anno 1551. §. solche der Grände & de Anno 1594. §. Nach dem nun. sed & vigiliis præstant cap. pervenit 2. extr. de immun. Eccles.* 4. Personæ Clericorum sanctæ sunt contra omnem violentiam, ita ut de jure Pontificio violentas eis inferens manus, excommunicationem incurrat ipso jure *c. si quis suadente 17. quæst. 4.* quin & inter bellicos motus Constitutionibus Imperial. earum securitati prospectum Reuter Vestall. *de Anno 1570. & Sust. knechtis Vestall. art. 54. Reformat. Frideric. III. zu Franckfurt de Anno 1442. tit. Wer in offenen Wâlden gefreit seyn soll.* Si sacra administrantem quis turbaverit capite punitur *Nov. 123. c. 31. cap. si quis caus. 17. quæst. 4.* Et Clericum

qui pulsat, sacrilegus habetur *l. 10. C. de Episc. ubi Arcadius & Honorius injuriam Sacerdotibus illatam non tantum pro atroci vid. C. l. 4. de injur. sed quasi publico crimine reputant.*
 5. Habent jus quasi castrensis peculii *l. Sacrosanctæ C. de Episc. & Cler. N. 123.* 6. Ecclesiasticis ante omnia administranda justitia: qui tertio requisitus id neglexerit, jurisdictionem amittit *auth. statuimus §. ult. C. de Episc. & Cler. licet alias ita non puniatur N. 124. c. 1. Gud. de jur. nov. lib. 6. cap. 7.*
 7. Episcopi nullas, alii Ecclesiastici exiguiore sportulas solvunt *Nov. 123. cap. 28. auth. sed hodie C. de Episc.* 8. Famoso exemptionis gaudent beneficio *Nov. 83. cujus rubr. Ut Clerici apud proprios Episcopos primum conveniantur Auth. Clericis C. de Episc. & Cler. auth. si quis eod. Nov. 123. cap. 21. & seqq. vid. Gud. d. l.* 9. Proedria sive præcedentiæ gaudent prærogativa (in terminis scil. habilibus) ipsis Imperii Recessibus competente. *A. B. pr. & cap. 11. R. X. de Anno 1530. §. Wir auch Churfürsten & de Anno 1532. rub. Concilium betreffend. Adde jus Saxon. lib. 1. art. 3. lit. B. ibi Der König ist der Oberste und Elteste die Bischöffe seynd nach ihme die Eychenfürsten nach den Bischoffen.* 10. Mitius puniuntur sæpè quam Laici *arg. l. 16. §. 3. l. 31. ff. de pœn. l. 2. C. ut nem. privat. tit. præd. suis Imp. l. 2. de term. mot.* 11. Torturæ & quæstionibus non facillè subjiciuntur *l. 33. C. de decur. l. 10. C. de dignit. l. milites 8. C. de quæst. quoniam milites Christi quasi sunt. Ex quo fundamento.* 12. Beneficium competentæ habere feruntur quæ & communis Dd. sententia & in praxi recepta est, *Panorm. & alii ad cap. 3. extr. desolut.* 13. Olim Episcopalis *auth. Episcopalis C. de Episc. & Cler.* Hodie quævis Clericalis dignitas liberat à patriapotestate *Gud. de jur. noviss. lib. 2. c. 13.* 14. Clericis ut dignioribus magis creditur *l. ob carnem §. fin. de test. l. majorem §. 1. de pact. De religiosis ut providis & honestis non est verisimile quod suæ salutis obliti ac juramenti religionem contempta*

tempta, falsum testimonium ferunt cap. 4. extr. de procurator.
 Sed hæc uti incidenter & breviter dicta sunt ita latius exequi hujus non est loci. Paucula tamen per transennam quasi significare libuit, ne de Summa Magistratus politici agens potestate, Ecclesiastici Ordinis, honoris, autoritatis, potestatis oblitus videar.

MEDITATIO SECUNDA.

*Ad §. 9. Inst. de Jure Naturali gentium
& Civili.*

Sine scripto jus venit quod usus approbavit nam diuturni mores consensu utentium comprobati legē imitantur.

Postquam Imperator §. 3. *Inst. de I. N. G. & C.* duas juris fecit species, his verbis : *Constat autem jus nostrum quo utimur aut scripto aut sine scripto, ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοὶ οἱ δὲ ἀγραφοὶ.* Jamq; intermediis §. §. sex scripti juris species absolvit; jus non scriptum quod nihil aliud est quam consuetudo, das Herkommen / der Gebrauch / die Gewonheit aggreditur : & quemadmodum quamlibet scripti juris speciem superius à causa efficiente descripsit (lex enim ait quod populus : Plebiscitum quod plebs; Principum placitum quid Princeps constituit) ita & hanc definiit à causa efficienti *jus quod usus approbavit.* Ratio est, quia diuturni mores consensu utentium approbati, legē imitantur. Tàcita Ergo populi voluntas jus non scriptum efficit, quod clarè indicat

dicat Julianus in l. 32. ff. de ll. §. 1. quæ sine ullo scripto probavit populus, tenebunt omnes, nam quid interest suffragio populus suam voluntatem declarare in rebus ipsis & factis. Quare rectissime etiam illud receptum est ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur & Hermogenianus in l. 35. ff. eod. Sed & ea quæ longâ consuetudine comparata sunt ac per annos plurimos observata veluti tacita populi conventio non minus quam ea quæ scripta sunt jura servantur. Hinc sequitur

Axioma I.

Solus tacitus consensus Utentium efficit
consuetudinem propriè dictam.

Exegetis.

PRO basi & fundamento hoc equidem Axioma omnis de consuetudine discursus ponendum esse duco: quod uti à multis haud rectè satis perpensum, tantas parit in hac materia difficultates, ut etiam Georg. Lopetz. *animad. cap. 5.* dicat: hac in re tam inconstantes esse tamque in aperta luce cœcutire Doctores, *Ut referendi improbus, improbandi incassus futurus sit labor*; ita hic attentius consideratum, multos scopulos evitandi monstrabit viam & ad vulgo consue-
tas quæstiones respondendi. Ut sunt 1. Quis possit introducere consuetudinem. 2. Quænam sint requisita. 3. Quis effectus introductæ. Primam quod attinet, liquet ex textibus superioribus hoc jus à populo introduci, cujus tacita voluntas ex ipsis factis constans cur non idem haberet robur, quod expressa, forte ad interrogationem Consulis proposita? *d. l. 32. ff. de ll.* Contra colligas: quid roboris habeat jus ex tacito collectum consensu illorum, qui etiam expressissimâ voluntate jus condere prohibentur, alterius
jussu

jussu reguntur? Innuat ergo satis *d. l. 32.* qualis debeat esse populus ad jus non scriptum introducendum habilis, talis nimirum, qui & scripto jus constituere potest, hoc est, in statu populari constitutus: In Monarchia si quid fecerit populus contra leges, id, quamdiu Princeps non contradixerit cum sciret, observari potest, sed tamen ita, ut Princeps id jure suo tollere, nec id juris virtutem per se habere possit. De Secunda quaestione tenendum breviter, unicum tantum esse consuetudinis requisitum scil. tacitum populi consensum, qui probatur exactibus *d. l. 32. longò tempore frequentatis §. 9. Inst. ibi diuturni mores d. l. 32. l. 35. ibi per plurimos annos frequentata.* Quot autem numerò requirantur actus, quantum temporis desideretur, res facti est, & pro varietate circumstantiarum variabilis. Alii enim actus aliis luculentiores sunt, ad docendam consuetudinem: & unum decennium meliùs tacitum hunc populi docere potest consensum, quam aliud vicennium. Unde jus nostrum civile numerum actuum aut annorum determinare nec voluit, nec accuratè potuit, sed tutiùs judiciali committit arbitrio, quibus ex factis, quo tempore firmatis populus in jus aliquod consensisse coargui possit nec ne. Nec interest judiciales fuerint actus an extrajudiciales: dummodo de tacita populi voluntate testentur. Ita liberi populi tacito consensu introductum jus (ut ad tertiam quaestionem veniamus) eundem effectum habet, quem jus scriptum, hoc est legem imitatur §. 9. *b. n. legem interpretatur l. minime 23. l. si de interpretat. 37. ff. de ll.* Jus novum obligans omnes inducit *d. leg. de quib. 32. ff. eod.* Unde & ut lex posterior alias anteriores abrogat *arg. d. §. 9. l. 32. junct. l. ult. ff. de ll.* huic tamen valde obstat *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* Ubi ait Constantinus: *Consuetudinis ususq; longævi non vilis auctoritas est, verum non usq; adeò sui valitur a momento ut legem vincat aut rationem.* Alii Constantinum loqui

de consuetudine irrationabili dicunt, alii inter vine cre legem & abrogare distinguunt. Neutrum placet. Ego Constantino Christianismum introducenti, multa circa Politica & Ecclesiastica novanti, identidem occentam hanc suspicor cantilenam: *contra usum longævum id esse*. Eâ occasione rescriptam puto dictam legem, istum in sensû: longævi usus tantam non esse auctoritatem, ut possit legem in statu Monarchico (ut tunc erat) ab Imp. latam, aut rationem scilicet divino juri nixam, vincere. Quod autem consuetudinem legem abrogare dixi, id minimè ad desuetudinem (quæ propriè consuetudo non est) extendendum, V. Gr. cum non accidit casus legis, vel si accidat quidem, at homines eâ lege in casu non utantur, certè lex inde non erit mutata, quoniam voluntas abrogandi ex actibus docenda contrariis; qui tamen hic desunt. Hæc vera puto principia, ex quibus omnia circa hanc materiâ fluere videntur. Certè non opus est, quærere an mulier etiam possit introducere consuetudinem? quod Barthol. *in l. 1. ff. de ll. negat*: An familia possit introducere consuetudinem *de quo Boër. 28. 158. & 228.* Quot actus requirantur: quot anni: quot testes ad probandum: an doctori de consuetudine testanti sit credendum? (Ego aliquando anno rustico hac in re plus fidei habuerim,) Quatenus consuetudo debeat esse rationalis: quatenus requirat scientiam & consensum Principis, quales introduci non possint. Quæ, ut puto, omnia ex superioribus genuinis principiis deducuntur, feliciùs quam copiosarum auctoritatum centonibus firmantur. Hos qui desiderat, adeat Gail. 2. *obs. 41.* Schneidevv. *ad Inst. de Jure Naturali G. & C. Petez. ad Tit. C. quæ sit longa consuetudo.* Hahn. *ad Wesemb. d. ll. Mynf. 6. obs. 44.* Hunn. *in Encycl. p. 1. lib. 4. cap. 10.* Klock. *Vol. 3. conf. 101.* Fab. *ad Gail. 2. obs. 31. & seq. & c.*

MEDI-

MEDITATIO TERTIA

Ad l. 3. ff. de Usucap.

Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti.

Exegetis.

PUlchrè Gajus lib. 21. ad Edictum Provinciale ait: Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu & ferè semper incerta dominia essent, l. 1. ff. de usurp. & usucap. & ut litium tollatur immortalitas. ult. ff. pro suo, nec possessores amittendarum rerum metu semper torquerentur. l. 7. C. de præscript. 30. Annor. Usucapio damno est Dominis, bono est Reipublicæ, cui quæ salutaria sunt, non tantum pro legitimis reputantur sed etiam privatorum commodis præferuntur, l. 3. C. de primipilo Grot. (idhiscæ confirmat) de Jure belli & pacis. lib. 3. cap. 20. S. 7. Alibi diximus res subditorum sub eminenti dominio esse civitatis, ita ut civitas, aut qui civitatis vice fungitur iis rebus uti, easque perdere & alienare possit, (ita tamen ut id post compensetur,) non tantum ex summa necessitate, quod privatis quoque jus aliquod in aliena concedit, sed ob publicam utilitatem, cui privatas cedere illi ipsi voluisse censendi, qui incivilem cæritæ coierunt. Nititur ergo suâ usucapio æquitate, nec naturali nec divino juri (quo non tantum non prohibitam, sed & Jephtham præscriptionis jure adversus Ammonitas usum. Judic. 11. vers. 28. legimus) contraria; Unde nec impium est præsidium, ut ex Novell. 9. quidam ajunt, sed honesta acquirendi juris civilis ratio l. 3. h. tranquilla etiam
D 2 acqui-

acquirentium conservans cōscientiam, dummodo quæ præcipiuntur observentur, & adhibeantur requisita. Hæc duo facimus, unum ex parte objecti, rei scilicet usucapiendæ, quæ habilis esse debet: alterum ex parte subjecti personæ scilicet possidentis: de quibus nunc obiter

Axioma I.

Res usucapienda habilis esto.

Exegetis.

VT brevi delineatione ex recepto jure usucapionis ostendam materiam, missis laciniosis digressionibus & veteris juris differentiis, ipsa requisita statim aggredior, & primo quidem habilitatē ratione objecti: quæ rursus duplex est, intrinsecasive ex natura ipsius rei dominium possessionemve respicientis, vel extrinseca, scilicet in favore Domini fundata. Ex Natura sua acquiri, adeoque nec usucapi possunt. 1. Liber homo §. 1. *Inst. h. t.* 2. Res divini juris §. 8. *Inst. de Rer. Divis.* 3. Res publicæ, & universitatis, l. 9. ff. *h. t.* Huc refer res Fisci. l. 18. ff. *de usurp. & usucap.* Item Municipiorum d. l. 9. 4. Res incorporales, quia possideri nequeunt, l. 9. ff. *de usurp. & usucap.* l. 3. *prin. ff. de acquir. poss.* quoniam tamen quasi possidentur, Justinianus id mutavit, ut nunc quidē servitutes ad instar rerum immobilium usucapiantur l. 2. *C. de servi. & aqua l. un. C. de usuc. transf. l. ult. C. de præslong. temp.* ad quod nec titulo opus est, nec scientiā Domini, l. si quis diuturno 10 ff. *si servi vindic.* 5. jurisdictio & regalia, quatenus non sunt in patrimonio privatorum. 6. Olim prædia provincialia. *prin. Inst. de usucap.* 7. Res meræ facultatis ut jus reluendi & retrovencionis arg. l. 2 ff. *de via publ. secundum Dd. commun.* Ratione favoris

favoris domini cum solius, tum conjuncti cum delicto aliquo prohibentur usucapi. 1. Res furtivæ & vi (expulsivâ & ablativâ non compulsivâ l. 3. C. de his quæ vi metuve) captæ, idque ex l. Atinia, nisi in veri Domini potestâtê reversæ fuerint, §. 2. 3. *Inst. d. tit. l. 24. §. 1. l. 4. §. 6. & seqq. ff. de usurp. & usucap.* Quid autem de partu ancillæ furtivæ vid. l. 4. §. 15. 10 §. ult. l. 33. prin. ff. de usur. & usucap. item l. 48. ff. de furt. videtur dissensus Jctorum. 2. Res præsidi contra l. Juliam repetundarum datæ. l. 8. ff. ad l. Jul. repetun. 3. Res pupillares l. 48. ff. de acquir. rer. domin. l. 10. ff. qui servi amitt. l. 3. C. de præscrip. 30. Annor. nec incepta contra defunctum usucapio continuatur contra pupillos. 4. Res minorum ex constit. Justin. l. fin. C. in quibus causis restit. in integ. non est recess. Contra quos tamen hodie præscriptio 30. Annorum procedit. l. 3. C. de præscrip. 30. Annor. addet. unica C. si advers. usuc. d. l. final. 5. Fundus dotalis l. 16. ff. de fund. dotal. 6. Res testamentò alienari prohibitæ. l. ult. §. 3. Commun. de leg. Tantum de objecto, sequitur subjecti Qualitas.

Axioma I I.

Omnis usucapiens 1. Possessionem, 2. Continuatam, 3. Per tempus legitimum, habeto.

Exegetis.

TRes hasce conditiones l. 3. n. non obscure innuit, quæ cum usucapionis materiam firmè comprehendant, præcipuam, singillatim plenius videndæ.

Axioma

Axioma III.

Possessio hîc civilis bonâ fide & justô
titulô munita intelligitur.

Exegetis.

Non quævis hic sufficit possessio, cum enim alia naturalis sit, quâ quis rem citra affectionem Domini tenet, alia civilis, quâ quis rem ψυχῆ δεσποζουσα, opinione Domini tenet exclusâ naturali, soli civili hic locus est l. 13. ff. de publi. in rem Act. l. 22. §. 1. ff. de noxal. Act. junct. l. 25. ff. de usurp. & usucap. §. 4. Instit. per quas person. nob. Atque ad hanc Domini opinionem fides requiritur. prin. Inst. de usucap. l. 2. C. de præscr. long temp. Quæ nihil aliud est quam justa opinio de dominio rei ad se pertinente, sive rei alienæ ignoratio. l. bonæ fidei 109. de V. S. l. 21. C. de furt. l. 32. §. 1. ff. de usurp. & usucap. Quid? Dubitanstne est in bona fide? nō videtur gloss. in c. fin. extr. de præscrip. sufficit autē hanc bonam fidem ab initio, id est tempore apprehensæ possessionis addesse. l. 48. §. 1. ff. de acquir. dom. l. pen. §. ult. ff. pro empt. Nov. 119. c. 7. l. 15. §. ult. ff. de usurp. & usucap. non obstante malâ fide superveniente d. l. 48. l. 2. prin. ff. pro empt. l. 4. §. 16. ff. de usurp. & usucap. In emptione verò, rei traditæ contractus inspicitur tempus l. 48. in fin. ff. de usurp. & usucap. l. 2. §. 1. pro Empt. Aliter de jure canonico, juxta quod sine continua bona fide, nulla currit præscriptio c. ult. extr. de præscript. ubi Innocentius Tertius: Quoniam omne quod nō est ex fide peccatū est. Synodali (in concilio id constitutū Lateranenſi) judiciō definimus, ut nulla valeat absq̃ bona fide præscriptio, cum generaliter derogandū omni cōsuetudini, & constitutioni, quæ absq̃ mortali peccato non potest observari. Digna mehercule ratio! dignum patellâ operculum!

Praxis

Praxis tamen sequitur Mynf. 4. *obs.* Gail. 2. *obs.* 18. Justum etiam titulū jura requirunt, *prin: Inst. de usucap. l. fin. ibi: Ut in omnibus justo titulo. C. de usu. transform: l. ult. C. de usucap. pro hered: l. 24. C. de R. V.* Titulus autem hic nihil aliud est, quam justa ad dominium transferendum habilis causa, ut emptio, venditio, donatio, dotis datio, legatum, *l. 27. ff. de usurp: & usucap: l. 55. de ob. Act. l. 3. §. genera ff. de acquir. poss. l. 1. in fin: l. 2. ff. de publ. in rem Actio. Transactio l. penult. C. de usucap. pro empt. l. 29. de usucap. Judicatum l. 17. eod. Noxæ deditio l. 4. & 5. ff. de public. in rem act. Pro suo l. 2. ff. pro scio. Sed quid de titulo pro hærede dicemus? Magna super hoc controversia inter patres Cyn. *in l. 2. C. pro hered. & textus variare videntur. vid. §. 4. Inst. de usucap. l. 4. C. de præscript. long. temp. l. ult. C. eod. de usuc. pro hered. l. penult. ff. eod.* Major est res, quam ut hîc à currente calamo expediri possit, aliàs rogat⁹ hæc in consonantiam redigere tentabo. Illud interim certum, quod error falsæ causæ ufucapionem impediatur. *§. error. Instit. de usucap. l. ult. C. de usucap. pro donat. l. 27. ff. de usurp. & usucap. nisi prægnans forte sit errandi causa, qualis in l. quod vulgo 11. ff. pro emptor. & in l. ult. ff. pro suo, traditio tamen falsā causā justificat. l. hominē 3. l. si ancillā in f. 4. ff. pro scio.* Hæc se ita quidem in ufucapionibus habent, à quibus differt præscriptio, quæ definiri potest: Adjectio domini *l. 2. C. in quibus causis cess. long. temp. præscript. Auth. nisi tricennalis. C. de bon. mat. quod per cōtinationē, tēpore legitimo acquisitū, jure tantum exceptionis adversus priorem Dominum tueri. l. 1. l. 5. l. 11. C. de præsc. long. temp. 8. in princ. C. de præsc. 30. vel 40. ann. & in rem utili actiōe ab extraneo repetere possum⁹, d. l. in princ. C. de præsc. 30. vel 40. Ann. Cujac. adl. 4. ff. de usucap. in fin. & in par. Cod. de præscript. long. temp. Donell. 5. Comment. 31. in fin. Ad hanc nec titul⁹ opus est, nec bonā fide, l. 3. l. 7. l. 8. §. 1. & 2. C. de**

de præsc. 30. Ann. multo minus, in immemoriali dubii est præscriptione, quæ vulgò privilegii vicè obtinere dicitur. Vafq. 2. *Illustr. quæst. 81. n. 13.* De jure Canonum autem, ut supra monitum, cum mala fide nec centum nec mille annis, nec in æternum præscribitur, quod & in civili foro servandum, infiniti volunt practici. *Gail. 2. obs. 18. Mynf. 4. obs. 6. Carpz. lib. 1. resp. Elect. tit. 4. respons. 40. num. 10. & seqq. & Jurisp. For. p. 2. conf. 3. defin. 8. Meichsner. tom. 1. decis. Camp. Imp. 24. num. 15. Wesemb. in par. ff. de pact. num. 9. & conf. 50. num. 32.* Ratio quod in materia præscriptionum tanquam spirituali, animæque salutem concernente, jus Canon. sequendum, mihi neutiquam placere vult; Laudo Ferrarium, quieam multum fatuam appellat. *præct. Papiens. in form. respons. rei conu. verb. præscriptionis n. 28.* quia in contractibus, si interveniat deceptio, etiam vertitur animæ periculum, neque ideo in iis semper sequendum Ius Canonicum. *Serve-tur ergo (ait: licet ipse Catholicus) jus Canonicum inter Clericos, qui portant conscientiam in caput, quo abjecto eorum conscientia abjicitur.* A quibusdam tamen distinctio adhibetur inter præscriptionem quæ descendit ex facto possidentis, & negligentia agentis. Alii rem ita temperandam censent, ut jus Canon. procedat, cum manifestè de mala fide constat, post 30. annos præsumatur tamen bona fides, donec mala prohibetur, post centum autem talis probatio non admittatur. *Bach. ad Treut. vol. 2. disp. 22. th. 6. lit. A.*

Axioma. IV.

Possessio in usucapionibus & præscriptionibus continua esto.

Exegetis.

Hoc est etiam quod & 2. Axiomate desideravimus, ut scilicet possessio continuata sit juxta l. 3. n. ibi, *continuationē* add.

add. l. 20. l. 31. §. 1. ff. eod. l. 2. C. de præsc. long. temp. §. diutina
 Instit. de usuc. ab omni interruptione libera, siue ea fiat natu-
 raliter & propriè dejectione l. 5. ff. de usurp. & usucap. siue ci-
 viliter & impropriè, cum scilicet possessor in retentione qui-
 dem manet, sed tamen effectus possessionis interruptitur,
 hodie non tantum litis contestatione, l. 10. ff. de acquir. possess.
 l. 26. ff. de R. V. sed etiam citatione & denunciatione judicia-
 li, aut si ea haberi nequeat, extrajudiciali testato facta. l. 2. C.
 de annal. except. Novell. 119. c. 7. Mutatio autem personæ
 possessionem non statim interruptit, successor enim non so-
 lum universalis, sed & particularis ex Constit. Imp. §. 7. &
 8. Inst. de usucap. continuare potest possessionem ab authore
 coeptam. Diversimode tamen. Universalis enim successor,
 cum in vitia possessionum à majoribus contracta succedat, l.
 vitia C. de acquir. possess. l. cum heres. 11 ff. de divers. & tempor.
 præscript. à defuncti mala fide (si nimirum is eam rem posse-
 derit ut suam, sciens esse alienam) impediatur usucapere, li-
 cet se suâ velit tueri possessione, d. l. 11 ff. de divers. & tempo-
 ral. d. l. 11. C. de acquir. possess. l. 4. §. 15. ff. de usurp. & usucap.
 Singulari successor, si ex sua persona tantum tempus compu-
 tare velit, auctoris mala fides haud obest. l. 4. C. de rei vind. l.
 2. §. 17. ff. pro empt. l. 13. §. 1. ff. de acquir. possess. l. 5. ff. de divers.
 & tempor. præscript. vide tamen aut h. mala fidei C. de long.
 temp. præscript. Illud hic notandum, quod ulucapio & præ-
 scriptio hostilitatis tempore non currat, sed quasi dormiat.
 c. ex præmiss. 10. ext. de præscript. quod non iniquè ad pestis
 vel simile calamitosum tempus extenditur, si modo iustiti-
 um sit. Quæ sententia etiam à praxi non aliena, & ratione.
 Siquidem non valenti agere non currit præscriptio, l. 1.
 C. de Annali exceptio. Wesenb. ad ff. de usucap.
 num. 14. ibique Hahn.

E

Axioma

In usucapionibus & præscriptionibus tempus lege definitum spectandum.

Exegetis.

UT tandem ad ultima l. 3. n. verba, & possessionis qualitatem ultimam perveniamus, nunc de vario usucapionum & præscriptionum tempore agendum. Omnes autem actionum & negotiorum terminos, à momento usque ad tempus infinitum (quos aliquando collectos hujus destinaveram acroamatis loco, fortè adhuc olim proditurus) hîc cumulare haud integrum est. Principes tantum species dabo; quæ quidem spectant ad annum, biennium, triennium, quadriennium, quinquennium, decennium, vicennium, tricennium, quadragenale, quinquagenale, centenale & tempus infinitum. Anno usucapiebantur olim res quævis mobiles, *princ. Instit. de usucap.* hodie secus est. Anno etiam præscribitur omnibus actionibus prætoriiis pœnalibus, *princ. Instit. de perpet. & temp. act. l. in honorariis 35. ff. de Ob. & Act.* exceptâ actione furti manifesti *d. pr. Inst.* Rei persecutoriæ similiter annales sunt, si contra, secus si præter jus civile dantur *d. l. 35. vers. sed cum l. 20. §. 6. ff. de Novi oper. nunc.* A qua forte excipienda actio Pauliana, quæ annalis quoque *l. 1. t. t. ff. de his quæ in fraud. cred.* De injuriarum actione ergo judicandum: Prætoria, verbis facta convitia coercens, anno terminatur *l. 5. C. de injur.* ex supradictò fundamento. Terminatur etiam actio injuriarum ex L. Cornelia de reali injuria anno: sed ob favorem *ἀμνηστίας*. Quid enim absurdius, quam propter colaphos ante 30. annos impactos hodie injuriarum agere velle? Quæ sententia Excellentissimi Jcti Frisii D. Wissenbachii magis placet, quam cõmunis Dd. opinio, praxi licet probata. Myns.

5. obs. 7.

5. *obs.* 7. Sand. 5. *decis.* 8. *def.* 3. Ex eadem ratione criminalis injuriarum actio anno finietur. Publica autem accusatio ex *l. unic. C. de fam. libell. l. 10. C. de Episc. & Cleric.* excipienda, ut & actio ex moribus nata ad palinodiam; Annum autem intelligo utilem non continuum, quia cum Prætor annum dicit, *Jcti* eum ut plurimū de utili interpretantur. *l. 1. junct. l. 6. ff. de calumn. l. 38. ff. de ædil. edict. junct. l. 19. ff. eod. l. 1. prin. junct. §. 39. ff. de vi & vi arm. l. 1. §. hanc autem ff. si mul. vent. nomine. facit & l. 1. ff. si is qui test. lib. juss. l. 2. §. 13. ff. de vi bon. rap.* Bienniū olim usucapiebantur res immobiles Italici soli *princ. Instit. de usucap.* quod etiam mutatu. *l. un. C. de usucap. transform.* Huc referas actionē de dolo *l. fin. C. de dol. mal.* Trienniū hodie usucapiuntur res mobiles, §. 1. *Inst. d. t.* etiam Ecclesiasticę *aut h. quas actiones C. de SS. Eccles.* Quadrienniū præscribitur à privato contra Fiscum, & contra, §. *ult. Inst. d. t. l. 3. & tt. C. de quadrienn. præscript.* Quinquenniū excludit querelam inofficiosi, *l. 34. C. de inoff. testam.* Accusationem adulterii. *l. 5. C. ad L. Jul. de adult. Peculatus l. 7. ff. ad L. Jul. pecul.* Controversiā statūs defuncti. *d. t. C. de stat. defunct.* Decenniū hodie res immobiles inter præsentēs, §. 1. *Inst. h. l. 9. penult. & ult. C. de præf. long. temp. l. un. C. de usucap. transform.* Præsentēs autem sunt qui in eadē provincia domicilium habent. *l. final. §. sancimus. ibiq. gloss. C. de long. temp. præscr.* Quod si quis años aliquot absens, aliquot præsens fuerit, adjiciuntur tot decennio, quot absens fuit. *aut h. si quis. C. de long. temp. præsc. Nov. 119. c. 7.* Vicenniū res immobiles acquiruntur inter absentes. *d. princ. Inst. h.* Atq; hic terminus est plerarumq; actionū criminalium & publicarum accusationū *l. 12. C. ad L. Jul. de fals. ut & accusationis pacis publicę. Gail. de pac. pub. 1. c. 20. Mynf. t. obs. 35.* Hęc & præcedens regulariter longi tēporis præscriptio vocatur, *ff. & C. de long. temp. præsc.* Tricennali, quæ juri *ff. incognita in Codice prodita, l. 8. & tot. t. C. de præsc. 30.*

annor. longissimi temporis vocatur præscriptio, præscribitur rebus immobilibus, cum nulla bona fides aut titulus adest (de jure civili scil. ut supra dixi) & actionibus personalibus, *l. 3. 4. & ult. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. 1. C. de annal. exc.* Exceptis tamen quibusdam. Quadragenalis est, quæ & Ecclesiastica dicitur, quia rebus temporalibus immobilibus, Ecclesiæ & similibus præscribit, *auth. quas action. C. de SS. Eccles. Nov. 111. cap. de quarta cap. ad aures. ext. de præscript.* An autem Ecclesia Romana eodem cum cæteris jure gaudet? an vero centenariam præscriptionem desiderat? placet prius Juri civili. *d. Nov. 111. Nov. 131. cap. 6.* Posterius de jure Canonico certum. *c. eum vobis 14. extr. de præscr. cap. vet. caus. 16. q. 3.* Hypothecariæ etiam actioni ab ipso debitore ejusve hærede 40. annis præscribitur, *l. 1. §. 1. de præscr. 30. Annor.* Quinquagenalis, aleæ amissi & soluti repetitioni obstat. *l. ult. C. de aleat.* Centum autem annis rebus civitatum præscribitur. *l. fn. C. de SS. Eccles. & Principis l. competit. 6. C. de præscript. 30. annor.* Licet autem propriè à centenali tempore differat immemoriale; plerumq; tamen tempus centum annorum, illo etiam nomine venit, quod communis humanæ vitæ terminus habeatur centum anni. *Nov. 9.* Et hoc immemoriale tempus, quia quasi infinitum est moraliter, ideo ejus silentium ad rei derelictæ conjecturam semper sufficere videtur. *Hug. Grot. de jur. belli. & pac. lib. 2. cap. 4. n. 7.* Addendum de tempore: naturaliter hic id non accipi, hoc est de momento in momentum, *l. 3. §. minore. ff. de minor.* sed civiliter, de die in diem *l. 134. de V. S. l. 6. ff. h.* ita ut postremus dies cceptus habeatur pro completo, *l. penult. ff. de divers. & tempor. præscript.* Colophonis loco moneo, dammandum esse errorem vulgi in foro, qui ex capite justæ ignorantæ adversus præscriptionem 10. 20. 30. annorum restitutionem in integrum concedit, quod uti in praxi verum, ita ex ratione juris falsum. *l. ult. C. de præscript. long. temp. l. 3. l. 4. C. de præscript. 30. vel 40. Annor.*

MEDI-

MEDITATIO QUARTA.

Ad l. si donationum 22. C. de nupt :

Iidem AA Hierio Præfecto.

SI donationum ante nuptias, vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiam aliaq; nuptiarum celebritas omittatur: nullus existimet ob id deesse rectè aliàs initio matrimonio firmitatem, vel ex eo natis liberis jura posse legitimorum auferri, inter pares honestate personas nulla lege impediende, consortium, quod ipsorum *consensu atque amicorum fide firmatur.*
 dat. 10. Kal. Mart. Constantinop. Felice & Tauro Consf. 428.

Tanta vis, tanta est rituum potestas & solennium apud vulgum ceremoniarum, ut clavum Herculi faciliùs extorseris, quam vulgo quantivis pretii à majoribus profectam ceremoniolam. Qui certe improvidâ ductus superstitione, quod honestâ ratione solenniter constitutum, statim pro requisito formali, summèque necessario colit: sanctiùs sæpenu-mero quam ipsum Principale, aut divini Numinis præceptum. Laboravit hoc malo Gentilismus; laboravit & ipsa sacra Ecclesia, vel ipso conquerente Salvatore.

Inter cæteros autem qui superstitionis ritibus abunda-

bant actus. Nuptias non ultimum obtinuisse locum neminem latere potest; nisi qui forte in jure hospes & Historiis. Fiebant coemptiones, auspicia, vota, deductiones solennes in domum Mariti, velabatur nupta, accendebantur faces, ungebantur postes aliæque in numeræ istiusmodi nugatoriæ & superstitiosæ solennitates diversæ, pro diversitate locorum; Vid. *Orat. extemp. p. 257.* Quas apud Romanos in tantum invaluisse ex l. hac & aliis videre est, ut etiam dubitatum sit, an Matrimonium contrahi possit absque illis. Hac occasione talis Imperatori Valentiniano & Theodos. propositus hujus legis est casus: Matrimonium contractum est, at nudo duntaxat consensu, qui quidem amicorum fide probabatur, at nihil quidquam consuetorum tum temporis habebat adhibendorum. Deerat instrumenta dotalia ac donationum ante nuptias. Deerat pompa ac omnis consueta celebritas: unde dicendum erat, non Matrimonium contractum esse, sed concubinatum; qui tum permissus & frequens erat, proxime ad matrimonium accedens: Sic, ut Paulus dicat differre concubinam ab uxore solâ animi destinatione *l. pen. ff. de Conc. & delectu lib. 2. sent. 20.* & Ulpian. *l. 49. §. 4. de legat. 3.* nil nisi dignitate differre: parvi etiam interesse an uxori, an concubinæ legetur, *Hatys. de feud. cap. 7.* Hinc uti una tantum uxor, ita una tantum poterat haberi concubina *Novell. 89. cap. 12. §. si verò,* nati ex concubina Patri & Matri certo modo succedebant *Nov. 89. cap. 12.* Concubina domo expelli non poterat sine causa, nisi quartâ parte substantiæ viri relicta. *Novell. 74. §. quon. aut. Gud. de jur. Noviss. lib. 1. cap. 10.* Liberi tamen ex Concubina nati pro legitimis habiti non fuere, sed naturales tantum dicti. Atque ideo jus legitimorum liberis in proposito simplici consensu firmato consortio competere non videbatur. Quo facit donatus, qui ad hæc verba *Æneæ in 4. Æneid.*

Nec

Nec conjugis unquam.

Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.

*Junctus sum, inquit, tibi, sed illud non potest conjugium vocari: non enim semper viri & mulieris conjunctio matrimonium facit. Quale enim Matrimonium, ubi nulla ex more solennitas, faces nulla, nulla ipsius fœderis consecratio? Verum enim vero frustra obstant horum omnium defectu, Valentinianus & Theodosianus Præfecto suo Hierio rescribunt nullum existimare debere, ob id Matrimonio deesse firmitatem, aut natis liberis jura posse legitimorum auferri, quia nulla lex impediatur conjugium, quod consensu per amicos probato firmetur. Atque hæc simplicitas à jure naturali & divino non aliena. Sed ad quid verba illa in *l. hac inter pares honestate personas?* Cautissimè ab Impp adduntur. Imparitas quandoque matrimonium impediēbat in totum ut inter Præsidentem & Provincialem *l. 38. l. 57. l. 65. ff. d. Rit. Nupt.* tutores ejusq; ascendentes descendentes & pupillam *l. 26. 59. 60. 64. 66. de Rit. Nup.* Lege Juliæ Senator ejusq; filius non poterat ducere Libertinam *l. lege Julia 44. §. 1. de Rit. nupt. l. lege Papia 23. ff. eod.* aut objectam (egena non excipiebatur) personam, veluti ancillam tabernariam, scenicam, eamve quæ mercimoniis publicis præfuerat *l. humilè vel abject. 7. C. de incest. & inut. nupt.* Quandoq; præter consensum tabulas requirebat nuptiales, ut si Senator permissu Principis duceret mulierem scenicam vel vilis conditionis, ut & in nuptiis Illustrium & similibus, de quib; variæ constitutiones in *Nov. 18. §. ult. Nov. 22. Nov. 74. §. 1. Nov. 78. Nov. 117. §. quia vero* vide Gud. de jur. noviss. lib. 1. c. 9. ex quo varia horum jurium mutatio apparet. Res de jure noviss. eo rediit, ut Justinus (error enim in nomine *l. 23. C. de nupt* quæ Justiniano adscribitur) in favorem Justiniani, cujus Theodora scenica fuerat, legem illam *Imp. 23. ff. de nuptiis* fecerit, eaq; matrimonium Illustris cum scenica confirmavit,*

mârit, si modo Principale accedat rescriptum, & dotalia Instrumenta, quod Justinianus in gratiam Theodoræ suæ ampliavit, ut etiam citra rescriptum omnes nuptiæ solo consensu consistant, dummodo Illustres tabb. addant dotales N. 117. cap. 4. *ibi: qui maximis decorati sunt dignitatibus usq. ad Illustres, non aliter nuptias celebrare, nisi dotalia scribatur instrumenta, nisi tamen aliquis, antequam mereretur has dignitates, ex affectu solo duxit uxorem, tales enim nuptias ante dignitates factas & post dignitates legitimas manere præcipimus.* Causa in lege nostra memoratæ parilis cõditionis hinc apparet, & extra talem casum nil solennitatis, festivitatis, aut cujusquam præterea rei ad firmitatẽ desiderari Matrimonii, ex luculento hoc legis tenore cõstat: unde indubitata sequitur axiomata:

Axioma I.

Nuptias solus facit consensus.

Exegetis.

Solum consensum perficere nuptias, ita ut ad substantiam earum nihil requiratur præterea, non dubito juris esse naturalis, juris etiam divini. Sive enim naturalem rimeris rationem; sive saniorum scruteris gentium pluriumque mores, sive sacrum Codicem & sanctos adeas Patriarchas; perfectionem societatis conjugalis ex consensu utriusque in idem placitum nasci deprehendes. Fatendum quidem quosdam apud populos hanc simplicem ac liberrimam conjugium contrahendi firmitatem, diversis sæpe solennitatibus intricatam fuisse, uti & ipsam personarum, aëris, maris, littorum, fluminum, riparum, portuum, alveorum, Insularum, banni ferini aliarumque rerum libertatem naturalem restrictam novimus: Romano tamen nostro jure simplici consensu validissimè constare nuptias, uti lex hæc nostra. 22. indubitatum reddit, ita & innu-

meris

meris aliis confirmatur Nov. 22. c. 3. ibi: nuptias affectus alter-
 ternus facit. Nov. 74. cap. 4. ibi: quia enim antiquis promulga-
 tum est legibus, & à nobis ipsis sint hæc eadem constituta, ut et-
 iam nuptiæ extra dotalia documenta ea solo affectu valeant &
 rata sint Nov. 117. c. 3. eum ex solo affectu matrimonium possit
 consistere & d. Nov. 117. c. 4. qui ex affectu solo duxit uxorem
 (paulo post) tales nuptias legitimas esse præcipimus, si neque
 hæc sufficiant adde l. 30. d. R. I. l. 24. ff. de Rit. nupt. l. 31. eod.
 l. 3. §. 1. de donati: inter virum & uxorem. l. 9. C. de Nupt. Ex qui-
 bus immotum hoc sequitur etiam axioma;

Axioma I I.

Nec deductio in domum Mariti, ad perfe-
 ctionem nuptiarum requiritur.

Exegetis.

Vesperâ nuptialis diei tres pueri prætextati, patrimi &
 matrimi novam nuptam domum ducebant, ita, ut duo
 eandem tenerent, tertius faces præferret quinque, ex spina
 alba confectas in honorem, ut putatur, Cereris. Ipsa nupta
 flammeo circa caput velabatur & cingulo ex lana confecto,
 (quod cestum appellabant) præcingebatur. Id Herculanæo
 nodo vincit, fausti ominis causa vir solvebat, quo scilicet, fe-
 lix esset in generando, ad instar Herculis, qui unâ nocte cum
 quinquaginta virginibus concubuisse, omnesq; maribus gra-
 vidas reddidisse fertur. Mulier ædes intrans suillo vel lupino
 adipe postes lanâ ungebat, ne quid mali medicamenti infer-
 retur, post fores lanâ coronabat, cingebat. In ipsa domo aquâ
 & igni accipiebatur, colum secum ferebat & tandem in pelle
 lanata cõsidebat. Borch. de grad. ex Plutarch. Festo Plin. Pom-
 pon. Hæc est cujus toties in jure mentio fit deductio. Hanc,
 F requi-

requisitum formale esse, sine quo Matrimonium consistere non potest, sunt qui ita contendunt, ut ipso Triboniano doctiores hic sibi videantur, nec multum absit, quin immortale hoc juris decus ad Scholam remittant, sophismata scilicet ut melius edoceatur logica. Franciscus Hottomannus 4. *obs.* 26. ait in l. 30. de *R. I.* ponendâ, impegisse Tribonianum in fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: simpliciter dixisse: *Nuptias non concubitus sed consensus facit.*: cum debuisset dicere: *Nuptias in muliere domum ducta consensus facit.* Hunc sequuntur Joh. Neldelius. Pet. Fab. Bronch. & alii, Textu moventur in l. *si uxor. §. si min. ff. ad leg. Jul. de adulter. l. quæsitum ff. de spons. l. hæc conditio. de Cond. & demonstr. l. si ut certo §. interdum ff. Commod. l. dotis promissio l. cum post. §. in domum ff. de jure dot. l. 24. C. de Nupt. l. 5. l. 6. de Rit. nupt. l. 32. §. similiter de donat. inter vir. & uxor. l. 8. C. de donat. ante nupt.*

At hæc tanta non sunt, ut exinde Tribonianus, sophismatis neglecti & erroris insimulandus, clarissimusque; textus in l. 30. reformandus sit. Mihi certè horū non pauca pro mea sententia facere, cætera facillimâ operâ dilui posse, contra nihil in jure nostro apertum esse videtur, si non hoc tot tamque expressis locis firmatum axioma: *Nuptias solus facit consensus.* Si quid autoritas ad rem Jctorum, ad stipulatur nobis Donellus lib. 13. *Comment. cap. 20. ubi rubrica est: inter quos nuptiæ contrahi possunt, inter eos solo consensu constare. & n. 10. circa medium: manet ergo quod proposui, nuptias ut aliam quamlibet societatem solo consensu constare, add. Cuj. par. ff. & C. de Nupt. Duarenus ad tit. soluto matrimonio cap. d. nupt. q. 2. Sand. in decis. lib. 1. tit. 2. defin. 1. ibiq; Steph. de Malescot. tract. de nupt. & Alberic. Gentil. lib. 2. de nupt. c. 5. Anton. Fab. lib. 1. *Jurispr. Papin. cap. 5. Arum. disp. 15. Giphani. ad Inst. de nupt. Borch. de gradibus pag. 82. Habn. ad Wesenbec. de nupt. n. 5. Iohan. Eichel. ad tit. d. R. I. pag. mihi 179. Ernest. Cotbman. vol. 1. conf. 77. & vol. 1. & conf. 10. ubi se disputationib. suis perperam dissentientem**

Hottom.

Hottom. refutasse ait, *jung. Gail. lib. 2. obs. 80. n. 4. Jacob. Gotsf. de reg. jur. ad l. 30.* Quinimo non tantum consensus nuptias facit expressus, coram testib. amicis ut in hac lege nostra 22. vel vicinis uti in *l. si vicinis 9. C. de nupt. declaratus*, sed & tacitus. Ex diuturna etenim cohabitatione matrimonium præsumitur, filiiq; æstimantur legitimi *textus in l. in liberæ 24. ff. de Rit. nupt. Nov. 78. cap. 4. Curt. jun. consil. 52. coll. 1. Menoch. de præsump. lib. 3. præsumpt. I. n. 12. & lib. 6. præf. 54. n. 20. Fach. lib. 3. contr. 35. ubi quinq; adfert. argumenta Rittershus. ad Nov. part. 4. c. 1. n. 10. Bach. ad Wesenbec. de spons. & ritu nupt.* Antiquo Romanorum jure uxorem etiam annuâ cohabitatione quasi tacitè consentientem usucaptam constat: & ipse Hottomannus in Comment. ad ll. 12. tabb testis est. Sanè ad probationem multum fecisse deductionem illam, ideoque sæpissime, ubi de perfectarum nuptiarum tempore quæstio incidit, in jure decisionem ex deductione petitam fuisse non inficior. At aliud est probatio, & aliud res quæ probatur. Unde quemadmodum notorium probatione haud indiget, ita si de consensu in nuptiis quoque modo constet, de aliis non est quod simus solliciti, sive ea ad probationem faciant, sive ad faustum omen, sive aliò. Hanc quam descripti deductionem uti olim necessariam fuisse, ita nunc in locum ejus successisse quidam putant benedictionem sacerdotalem, æquè necessariam. Sed

Axioma III.

Nec Sacerdotali opus est benedictione ad substantiam matrimonii.

Exegetis.

Substantiâ matrimonii nihil mutare à sacerdote sed solo absolvi consensu, ex l. nostra 22 & superius adductis, meridiano clarius jubare elucere quis non videt? *παρρησια δαξιδαι*
affectione

affectione conjugali: Solo affectu: Consensu fieri nuptias in Inst. pandect. Codic: & Novellis sæpissimè legitur; at benedictionis sacerdotalis mentio apparet nusquam. Unde Joan. à Sand. decis. Fris. lib. 2. def. 1. tit. 1. Ritus ejus observatio nusquam in jure Romano vel Justiniano precipitur & Rittershus. ad Nov. p. 4. c. 1. n. 18. De benedictionibus illis soleo mirari tantum silentium apud Justinianum alioquin religiosissimū Princip. Hottomannus tamen, quem sequi videtur Gotfr. ad l. 24. C. de Nupt. vocabulo festivitatis benedictionē Sacerdotis significari putat. Sat temere. Res juri civili incognita: quamvis gentibus & Dei populo in vet. fœdere, primitivæq; Ecclesiæ ritum hunc placuisse probat Selden: & Rittershus. d. l. Cujacus ad rubri. & cap. 1. extr. de spons. Ego id ita accipiendum duco ne conjugalis fœderis firmitatem ex hoc ritu sæpe adhibito, sæpe neglecto pendere credamus. De jure Canonico major videtur necessitas Jonston. in hist. civili & Eccles. sub Antonio Philosopho à Sotero Fundano Episcopo Romano circiter a. n. Ch. 173. qui vixit, primo hanc benedictionem statutam tradit, quod à posterioribus sapiuscule repetitum docet jus Canon. c. 2. caus. 30. q. 5. caus. 27. q. 2. c. 50. c. nulli 35. q. 2. c. ult. dist. 23. c. vir aut. de secund. nupt. Sed neq; hoc jure præcisam illam hierologiæ necessitatē præceptam esse, mihi quidem persuadet c. licet extr. de spons. c. tua 26. extr. de spons. c. nostrates 3. caus. 30. q. 5. cap. veniens 15. extr. de spons. cap. ad id 21. ext. eod. Confirmat hanc meam sententiam Anton. Perez. Antecess. Lovanien. clariss. in prælect. Cod. ad tit. de nupt. n. 12. ubi ait: præmittuntur quidem in Ecclesia banna id est proclamationes, ut detegantur si qua forent impedimenta: subsequuntur oblatio sacra, benedictio sacerdotalis, & aliæ cõsuetæ ceremoniæ, ut matrimonium ritè contractum esse omnibus innotescat, non tamen si omisæ sint, matrimonium dissolvitur, vel imperfectum censeripotest. Sanchez. de matr. lib. 3. c. 5. Sunt enim solennitates ejusmodi

modi ad honestatem non ad necessitatē, allegat etiam Aug. Barr. in collect. D.D. ad declarat. concil. Trid. c. 1. n. 45. Nec conciliū Tridentinum aliud quicquam velle multi testantur. Sed quid de consuetudine, statutis & moribus hujus temporis? vulgus ubi hunc ritum adhiberi quotidie, aut statutum, fortē etiam pœnaliter eum præcipere cernit, laudabili hac omissa re, actum plane imperfectum esse crepat. Pessimè. Alia est consuetudo & statutum pium hunc ritum honestè adhibendi, alia omisso hoc matrimonium irritum, illegitimum, nullum, pronunciandi. Prius genus passim videas: posterius non æquè. Hoc ubi optimè explicavit Joh. à Sand. in decis. Fris. lib. 2. tit. 1. def. 1. id: (ait) facit ad interpretationem placiti Frisici l. 1. ord. tit. 1. §. 11. quo omnes Matrimonium contrahentes, jubentur post trinam promulgationem, tribus diebus Dominicis in Ecclesia factam, illud solenniter coram Ecclesia confirmare; quæ sollemnisatio si facta non sit, non idcirco Matrimonium pronunciatum irritum, sed facientes tantum mulctantur pecuniâ, & ita judicatum refert anno 1614. 27. Octob. in causa Dauve van Epema impetrant Ulck Ebes & Eetz Claes gedaegde & anno 1615. 15. Jun. in causa Otto Ottes impetrant Tryn Claes gedaegde & anno 1616. in causa Ryck Lammers appellante & hæredum van Tryn Reyens geappellerde, In Galliæ etiam supremo Parisiensi Senatu liberos eorum qui longo tempore una vixerunt, ut conjuges, absque hac sollemnitate Ecclesiastica judicatos fuisse legitimos, docet Lud. Charondas in memorab. Verb. enfans quem refert Sand. Nec alienum oportet esse jus Suecicum: cum Joan. Loccen in Syn. juris ad leges Suecicas accom. ex ipsis Suecanis Legibus adductis ad id, hierologiam referat inter ritus ad argumentum & ornamentum spectantes. De Germaniæ nostræ praxi sic ait Excellentiss. Antecess. Helmstad. Hahn. in observ. theo. pract. p. 2. p. 150. p. 1. p. 108. Equidem negari non potest eam

(benedictionem Sacerdotalem) *requiri hodie ex Ordinat. Ecclesiasticis ut testimonium publicum legitime contracti matrimonii, attamen aliud est probatio rei, aliud res probata sui natura subsistens: & lex Ecclesiæ eam imperat saltem ut solennitatem, ut necessarium requisitum ad subiectum, non ut sit de essentia & ita respondit facultas 1630. 8. Octobr. Luberto Edzard. So kan vnd mag dem allen nach mehr erwehnte beywohnung für Gott nicht anders dann eine beständige Ehe gehalten werden. Idem sentit Carpz. Jurs. for. p. 3. const. 14. defn. 12. ubi hæc sunt verba. Etenim quia solus consensus, ne dum carnali accedente copula, matrimonium constituit ejusque est anima c. tua extr. de sponsal. l. 30. de reg. jur. & essentia integralis matrimonii. Raph. Fulgos in l. 5. C. de bonis qua lib. Panormit. p. 1. consil. 1. n. 2. Bartol. Socin. consil. 28. n. 28. utiq; filium post ejusmodi sponsalia (clandestina) natum, non minus videri legitimum, quam si matrimonium in conspectu Ecclesiæ consummatum esset, & ad hæc hanc sententiam anno 1633. à Scabinis latam subjicit. Hat ein junger Gesell Sempronius so keine Eltern gehabt / sich mit einer Wittibe in ein heimliches Ehegeliubnuß eingelassen und dieselbe als bald fleischlich er fand vnd geschwängert / in massen sie dann ein Kind zur Welt geborren. Ob nun wohl gedachte Sempronius Ehe vnd zuvorn offensliche Sponsalia vorgegangen vnd die Ehe durch Priesterliche copulation vollzogen worden / todes verfahren / da aber dannoch die geschwängerte Wittibe / daß ihr die Ehe versprochen worden / darhin und erweisen möchte. So wird das von ihr gezeugte Kind für ein ehelichs Kind gehalten vnd zu des Vatters Sempronii verlassenschaft / als ein rechter Erbe billig zugelassen B. R. W. Cui etiam nec quicquam contrariatur quod ab eodem Jurisp. Eccles. lib. 2. tit. 8. def. 142. ponitur. Idem docuit Hart. Pistor. obs. 83. n. 8. Melchior Kling in tract. de matrim. cap. de inutil. nupt. tradit omitti posse talem ritum si nobilis ignobilem ducat, vel alter contrahentium senex sit, quem püderet solennitatis. Ante omnia autem audiendus Ernestus Cothman,*

man, benedictionem illam ut de substantia requirentes, apertæ impietatis insimulans : Verba ejus in consiliis toti Germaniæ summè approbata hæc sunt : *Prima quæstio quæ cæteris facilior, ex eo tantum dubia redditur, quod nonnulli ad veri matrimonii substantiam Sacerdotis benedictionem publicè in æde sacra factam intervenire velint (vide alleg.) sed hanc sententiam responso decimo multis argumentis improbari, & Piam, Juridicam & veram non esse demonstravi vol. 1. conf. 78. num. 5. Quod juri divino consentire monstrat num. 7. per Deut. 22. vers. 23. Matth. 1. vers. 18. & seqq. Canonibus & decretalibus Pontificum. n. 8. Plerisque Theologis num. 9. Tandem n. 12. ait: præterea hisce omnibus mores nostri & Ecclesiarum & consistoriorum omnium consensus accedit. add. conf. 10. vol. 1. ubi hæc amplissimè exponit ac simul Leonis, Alexii ac Comeni constitutiones (si quæ videntur contrariæ) uti nec isto nec nostro tempore vim legis habentes, nihil hic negotii facessere, fusè demonstrat. Plurima quæ possent hic præter hæc cumulari, nec temporis, nec pagellæ patitur ratio, nec opus esse duco. Id *παιδείως* monitum saltem volo, sub confœderati Belgii piissimis magistratibus, simplicitatem juris naturalis & divini in societatibus conjugalibus receptissimam esse, maximè si Frisios adeas. A quo etiam non aliena manu ductio Palatina ad jus matrimoniale, non quidem promulgata, sed tacito consensu Sereniss. Princ. jam ultra sæculum auctoritatis non nihil nacta. Accedunt aliorum PP. ordinationes. Ego Hugonis Donelli in *comment. 13. cap. 20. circa medium expressis his, desino verbis; Res eo deducitur, ut certo constet, quod proposui, nuptias ut aliam societatem omnem, solo consensu contrahi.**

MEDI-

MEDITATIO QUINTA.

Ad Novell. 117.

Ubi

De causis ex jure Justiniano novissimo
divortiorum*Axioma I.*Omnes divortiorum causæ novella
hac continentur.*Exegetis.*

Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est ac
matrimonium *Novell. 140. prin.* communicationem
divini & humani juris *l. 1. ff. Rerum amot a. l. 1. ff. de*
R. N. & individua vitæ consuetudinem continens § 1. Inst.
& Patr. potest. Unde uxor socia rei honorariæ atque divinx
domus suscipi perhibetur. *in l. advers. 4. C. de Crim. expil. he-*
red. Sæpiusculè tamen fit, ut præter spem & votum contra-
hentium, consuetudo hæc dividatur etiam ante vitæ termi-
num. Hinc tot tamque variæ jure nostro de divortiiis bonâ
malâque gratiâ constitutiones. De Jure ff. fiebant divortia
ob varias & leves causas, etiam extra judicium, adhibitis ta-
men 7. testibus *l. 9. ff. d. divor. & repud.* Jure Cod. *in l. con-*
sensu 8. S. vir quoque 3. constitutum à Theodosio ut maritus
possit repudiare uxorem ob 14. causas, ut, 1. adulterium.
2. veneficium. 3. sepulchrum violatum. 4. plagium. 5. ho-
micidium. 6. sacrilegium. 7. latrocinium, 8. adfectatio-
nem convivii. 9. abnoctationem. 10. frequentationem
ludorum

ludorum. 11. insidias vitæ structas mariti. 12. læsam ma-
 iestatem. 13. falsum. 14. violentas manus : quibus Justi-
 nianus post addidit. 15. abortum. 16. ingressum cum vi-
 ris in lavacrum. 17. tractationem de secundis nuptiis viro
 vivo *l. jubemus. 11. C. de Nupt.* Uxor maritum ob 13. causas
 ex *d. l. 8. repudiabat* 1. ob adulterium. 2. homicidium. 3.
 veneficium. 4. læsam majestatem vel seditionem. 5. fal-
 sum. 6. sepulchrum violatum. 7. sacrilegium. 8. lenoci-
 nium. 9. abigeatum. 10. plagium. 11. luxuriam. 12. in-
 sidias vitæ. 13. malam tractationem. Super his causis Im-
 perator dedit etiam quidem *Novell. 22. cap. 16.* Sed tandem
 hac *Novella 117. cap. quia verò 8. & sequent.* rejectis indignis,
 constituit, ut nullæ ex anterioribus. 11. amplius valeant cau-
 sæ, quam quæ inibi retentæ & expressæ sunt. Ex 17. autem
 supra numeratis, ex quibus uxor repudiabatur, causis, reti-
 nuit tantum has. 7. 1. Si majestatis rea, aut saltem criminis
 istius conscia fuerit uxor, nec id indicarit. 2. Et adultera.
 3. Si quolibet modo vitæ Viri fuerit insidiata, aut alios cri-
 men hoc meditantes sciens, viro non indicaverit. 4. Si cum
 viris extraneis nolente marito convivatur, aut 5. lavet. 6.
 Si nolente marito foris abnoctet, nisi sit apud parentes, aut à
 marito expulsa. 7. Si Circensibus (equestribus conflicti-
 bus vid. *l. 2. C. de spect. & sceni.*) theatrorum vel amphithea-
 trorum ludibus, nolente vel ignorante, marito, intersit.
 Hæc de viri causis. Mulieri ad repudiandum virum ex 13.
 superioribus, causæ reservatæ tantum tres, quibus aliæ tres
 accessere à Justineano *cap. causas 9. d. Nov. 117.* Sunt autem
 1. Crimen læsæ majestatis illiusque reticentia. 2. Si vir
 uxoris vitæ insidietur, vel cum ab alio id intentatur, re-
 ticet aut non ulciscitur. 3. Cum insidiatur castitati ejus,
 & aliis eam adulterandam tentat tradere. 4. Si vir de
 adulterio inscripserit uxorem, & adulterium non proba-

verit. 5. Si maritus domi suæ in contemptum uxoris cum
 aliis mulieribus consuescat. 6. si maritus in alia domo, in
 eâdem civitate, aliam sæpe visitans mulierem, aliquoties ad-
 monitus à parentibus, vel suis vel Uxoris, abstinere ab eâ-
 dem nolit. Atque hæ unicujusq; partis propriæ sunt causæ.
 Subjiciuntur *in cap. 12. ejusd. Novell. 117.* 3. communes ex
 anterioribus etiam constitutionibus approbatæ. 1. Ingres-
 sus monasterii, desiderio sanctioris vitæ. 2. Impotentia coe-
 undi: ut si quis olim biennio, *l. pen. C. de Repud.* nunc trien-
 nio integro, officio conjugali fungi non possit. *Novell. 22.*
cap. distrab. itaque. Pontifex, duos tantum menses præfigit
 huic querelæ instituendæ, quod brevi hoc vitium animad-
 verti possit *cap. 1. Extr. de frig. & malef.* Licet autem *d. cap.*
12. de muliere non loquatur; in eadem tamen, si nimis arcta
 sit, ob identitatem rationis, idem statuendum cum glossa ju-
 dico. 3. Captivitas. Hæc tamen non absolurè solvebat ma-
 trimonium. Quamdiu enim certò de vita captivi adhuc con-
 stabat, vel si planè nihil certi de ea erat, intra lustrum ad alia
 vota convolare nequibat qui manserat. *Novell. 22. cap. 7.*
 Reversò captivò; novo consensu fiebat redintegratio. Nam
 non ut paterfilium, maritus jure postliminii recipiebat ux-
 orem *l. non ut à patre 8. l. cum divin. 14. §. 1. ff. d. captivis &*
postlimin. revers. Præter has hæc Novell. contentas, jure ci-
 vili divort. causæ non dantur *d. cap. 8.* Uti enim anteriores
 constitutiones huic omnes cedunt, ita posteriores *Nov. 123.*
cap. spons. & seq. Novell. 127. cap. quia vero & Novell. 134.
cap. quia vero. ad confirmationem ejusdem pertinent. Quod
 tamen dubium valde reddit *Novell. 140.* Quæ mutuo ex
 consensu permiffa antea divortia *l. 60. ff. d. donat. inter vir. &*
uxor. l. 9. C. de repudiis Novell. 22. cap. 4. (sed abrogata *per*
cap. 16. hujus Novell. 117.) restituere & *d. l. 60. l. 9. & Novell.*
22. reductis, hoc caput decimum Novell. 171. rursus abro-
 gare

gare videtur, quod placet Gothof. ad *d. cap. 10. & Nov. 140.* cujus rubrica est: *ut consensu matrimonium solvi possit.* At Perperam illam constitutionem inter Novellas Justiniani relatum, cum sit Justinii secundi, filii Justiniani adoptivi, successoris & è sorore nepotis, observari potest exinde; quod inter cæteras ejusdem Justinii constitutiones secundum nacta sit locum. Has autem, uti aliàs, ante & post Justinianum (quibus colligendis summa cum utilitate Cujacius, Sichard. Pithæus studuere) confectas, nullum nunc robur obtinere expeditum est.

Axioma I I.

Causæ hæ Justinianæ Juri Canonico displicent, & moribus.

Exegetis.

BRevissimè sic per transfennam quasi indigitatis juris civilis divortiorum causis, summò etiam digitò jus tangendum videtur recentius. Alia enim illius circa hanc materiam facies, sive Pontificium spectes jus, suis locis usitatum: seu reformatorum consistoria lustres. De Jure Canon (quod hoc in divisionis puncto etiam amplectuntur Reformati) divortium vel est thori & mensæ, cum mutua conservatio conjugalis ad tempus vel perpetuò interdicitur; *cap. dixit domin. 2. caus. 32. quæst. 1.* quo casu non datur potestas ad secunda vota transeundi, vel vinculi matrimonialis, cum matrimonium planè rescinditur quoad substantiam & in perpetuum. Quod de jure Can. contingit si alter infidelium ad vitam Catholicam convertitur, alterò sine scandalo cohabitare nolente *cap. gaudemus 8. & ibi DD. & cap. quanto 7. Extr. d. divortii.* Sic & propter frigiditatē & impotentiam antenuptialem

ptialem *cap. 1. & toto tit. Extr. de frig. & malef.* Item ob religionem, si ante concubitum alter velit Monasterium ingredi *cap. 2. & cap. Ex pub. d. convers. conjug.* Nec non censetur matrimonium dissolubile ante baptismum, ceu inter infideles contractum *cap. 4. Extr. de divort.* Sed hisce casibus non tam divortium fieri, quam matrimonium nunquam valuisse reputatur secundum Canonistas. Separatio autem thori admittitur, & mensæ. 1. Propter adulterium alterutrius *cap. 1. Inter venien. cap. 3. Apost. caus. 32. q. 7.* licet conjux admittendi occasionem dederit *cap. 5. Extr. de divort. iis cap. 3. caus. 32. quæst. 5. cap. 2. caus. 32. q. 7.* Non tamen attenditur hæc causa si utriusq; idem sit delictum *cap. 4. & 5. Extr. d. divort.* Si uxor non ex voto sed errore *cap. 6. caus. 34. q. 2.* vel vi. *cap. 4. caus. 22. quæst. 5.* compressa sit, aut bonâ fide, ignorans maritum adhuc esse superstitem, nupserit alteri. *cap. 1. caus. 34. q. 1.* Item si reconciliatio intervenerit *cap. 1. 2. 3. caus. 32. quæst. 1. 2.* In hæresin si alteruter labatur. *cap. 2. Extr. d. divort. cap. fin. Extr. d. convers. conjug. 3.* Obsævitiam: cum alter vitæ alterius veneno, gladio, fustibusve infidiatur *cap. 1. & 2. Extr. d. divort. cap. 1. extr. ut lite non contest. cap. 3. d. Rest. spoliat. 4.* Ob sodomix crimen *cap. 2. caus. 32. quæst. 7.* Videatur ante omnes Covarru. *p. 2. cap. 7. §. 4. & 5.* Sic canones volunt. *Jure autem ac merito hodie reformatæ Ecclesiæ* (verba sunt Rittershusii *diff. jur. civ. & can. lib. 2. cap. 2.*) *recessere à constitutionibus illis pseudocanonum, & reprobato illo commentitio divortio thori & mensæ, redierunt ad verum divortium, quo ex jure civili, etiam in veteri Ecclesia usitato, omnino dirimitur matrimonium.* Sententiam Reformatorum, de solubilitate vinculi, longâ ferie hic astruere, à scopo nostro alienum ac superfluum esse duco. Præstitere id Theologi tot Excellentissimi, quos inter eminentissimum D. Spanhemium in *Dub. Evang. 150.* latissimè id tractantem, omnibus adversariis harpo-

harpocraticum imposuisse digitum constat. Non tamē quilibet ob causas vinculum reformati patiuntur solvi sed 1. propter adulterium. 2. malitiosam desertionem. Quod si intercedant insidiæ & inimicitia capitales, vel sævitia intolerabilis, admittitur quidem separatio; at tantum thori & mensæ, idq; sperandæ reconciliationis causâ. Hahn. *in observ. theor. pract. tit. d. divortii. n. 9.* Carpz. *Jurisp. consist. lib. 2. tit. 11. def. 189. & def. 192. & seq.* Schneidw. *tit. de nuptiis. part. de divort.* Beust. *de jure connubii part. 2.* qui hoc in reformatis consistoriis receptissimum ajunt. Huic ut tutissimæ sententiæ, & ego subscribendum esse sentio. Interim

Axioma III.

Duas istas causas apud Reformatos separationem thori & mensæ operantes, & si quæ sint æquè graves, vinculi etiam solutioni locum facere, probabile duco.

Exegesis.

ARctissimi istius connubialis vinculi laxationē, ad solius Adulterii commissionem & malitiosam desertionem restringendam esse, & ante septennium (in ea, quam de nuptiis tum conscribam disputatione) fuit mihi sententia, & nunc est; at (ut ingenuè fatear) longè jam infirmior ac olim. Cum enim studiosius inquirerem, quid rei esset, quod sacratissimus noster Imperator Justinianus, cætera impensè religiosus & Christianus, tantum in divortii à jure divino fecerit divortium, in prioris Ecclesiæ mores à nostris alienissimos incidi: unde causam ipsam volutanti diutiùs, scrupuli sub-

nati sunt, eò trahentes animum, ut præter adulterium & malitiosam desertionem, etiam eas probabiles ducam, quæ nobis quo ad thorum approbatæ sunt, causas & si quæ ejusdem sint conditionis. Rem ordine dicam & pro instituto breviter. Gloriosissimus salutis nostræ restaurator in Novo Fœdere probatum Judæis repudiorum tollit usum, regulariter: per modum exceptionis admittens eum in casu fornicationis. ἐμὴ Ἰσὶ γενεῖα *Matth. 19. v. 9.* παρεκτός λόγος γενεῖας *Matth. 5. v. 32.* Hic solo in casu adulterii, in specie dicti, admissa, cæterum omnia exclusæ esse divortia, recepta est sententia quæ mihi dubia, ut dixi, sit.

I. Propter vocabulum *Matth. 5.* Et quisquis dimissam duxerit. Salvator ergò loquitur (utcumque accipias vocabulum γενεῖας) de tali casu, ubi pars nocens poterat per magistratum manere superstes. At adulterium (ut nunc nihil de legibus Romanis, per quas id à non paucis tum etiam capitale fuisse fertur per *S. item lex Julia Inst. de pub. judiciis l. 9. C. ad l. Jul. d. adulterii* dicam) cum ex lege & moribus apud Judæos capitale fuisse quis dubitat? Deut. 22. v. 22. *Si quis concubuerit cum alterius uxore, morte punitor, tam adulter, quam adultera, ut, tollas malum e medio tui.* Levit. 20. v. 10. *Si quis adulteravit alteri uxorem morte moriatur tam ipse quam adultera.* Si ergo Salvator noster remissionem capitalis pœnæ non approbavit, aut parvi fecit (quod Samofateniani hîc urgent) locutus est de fornicatione non capitali, & sic etiam non de adulterio.

II. Me movent verba: **Initio non erat sic.** Ubi Salvator primævam legem revocat quæ ob σκληροκαρδῶν Judæorum cessaverat. Ea autem quæ erit? Nisi lex naturalis, non quidem leves Judæorum causas, sed tamen eas admittens,

tens, quæ directo naturam impugnant matrimonii, etiam præter adulterium.

III. Cum Christus tentatus fuerit hac quæstione, illo tempore, quo Hillelianorum secta quasvis levissimas divortii causas admitteret, quibus Sammazani contradicebant, solam turpitudinem obtendentes, tantò probabilius est in terminis Hillelianorum opinionem tum receptiorem damnatam esse, quanto vocabulum fornicationis & prægnantius, & quotidianæ istius temporis quæstioni aptius fuit.

IV. Non est probabile tanti momenti mutationem & restrictionem maximæ istius temporis circa divortia laxitatis, generali & homonymo vocabulo (in quò maximi viri differunt, imò quod in sacra Scriptura generalem turpitudinem etiam Idololatricam denotat frequentissimè) exprimi.

V. Theod. Beza fatetur Dominum nostrum nil extra casum propositum determinasse, Beza *de divortis pag. mihi 217.* casum autem Domino propositum de levibus Judæorum causis magnus, quem ante laudavi, ait Theologus *dub. 148. n. 10.* Imò ipsius Beza *pag. 180.* hæc sunt verba: *nam neque de adulterio Pharisei quæsi verunt, neque propriè respondendum fuit Christo, applicanda est enim responsio ad interrogationem. Rogatus autem fuit Christus, non an aliquam ob causam veluti ob adulterium licuerit divortium; sed an ob quamvis causam in foro conscientie concedatur.* An non ergo omnibus his simul consideratis fornicationis vocabulum, levissimis oppositum causis, graves non excludere est probabile?

VI. Si Christus perfectam legem tulit adulterium includentem, cæteras omnes causas excludentè, ut statui assolet: jam ipsa etiam malitiosa desertio excludetur, de qua Paul. *I Corinth. 7.* Siquidem eo casu nec Angelus, nec homo quicquam addere posset novi, Beza *pag. 178.* At Paulus hanc no-

vam

vam causam addit, quod grave dubium appellat magnus Spanheim. *dub.* 147. *sub fin.* Responderi solet, Christum de activo. Paulum de passivo; Christum de voluntario, Paulum de necessario (tempore Christi forte inusitato) locutum fuisse divortio. Imò divortia ut appelles, nihil mihi hic interesse videtur. Admissis omnibus distinctionibus, manere constat: Dominum nec omnia divortiorum genera, nec omnes causarum species complexum respondisse; quosdam casus indeterminatos reliquisse.

VII. Admissam tamen malitiosam desertionem certè nec homo extra casum Apostoli extendet, nec Angelus, *Bez. d. pag.* 178. Unde & desertio intelligenda infidelis alicujus non quæ forte fit ob morositatem fidelis conjugis, aut in pari conjugio *Bez. pag.* 233. Sed neque hic ab extensiva interpretatione sibi temperant alii Theologi. Unde hoc quotidie ad ejusdem religionis homines porrigi docet *Carpz. Jurisp. consistit. lib. 3. tit. 5. defn.* 86. *num.* 15. ubi communem Theologorum allegat sententiam & præjudicia.

Probabile igitur est Theologorum nostrorum extensionem non esse exclusam à Divo Paulo: Pauli à Christo. Et matrimonium, propter impotentiam alterutrius, quo ad vinculum dissolvi moribus nostris convenit *Carpz. Jurisp. Consist. lib. 2. tit. 11. def.* 200. *& seq.* Et ob stuprum ante matrimonium commissum dissolutio fit; patente stuprata ejusque marito ad alia vota aditu, *Carpz. detit.* 11. *decis.* 193. Quæ an non etiam quodammodo divortii nomine veniant, ambigo. His probè attentis; dubito an non solos à Christo & Paulo positos casus vinculum matrimonii dissolvere verbis statuamus, facto ipso, ipsorum extensionem casuum & similes probemus?

VIII. Graves causæ, ut insidiæ vitæ veneno gladiove stru-
ctæ,

etæ, homicidia & similia ex ipsorum Theologorum sententiâ separationem dant etiam ipso jure, à toto genere humano; sed si superstes forte manserit delinquens, non à conjugè: & quidem ob hanc rationem: quia delictum non est in matrimonio directò commissum. Hoc ipso fateri videntur, si aliud grave delictum directò sit contra matrimonium, admittendos etiam alios casus. Hoccine est ab additione homines & Angelos arcere?

IX. Paria sunt discedere & minis aut vi alium aliò abigere, Beza pag. 229. Ubi ergo nunquam securâ poterit esse conjunx de vita, nec huic malo remedium quæri, pars nocens pro desertrice, & sic etiam alia præter Christi & Pauli causam sufficiens, ipso Bezâ teste, habebitur.

X. Urget mere restrictionis absurditas: siquidem præsentia quandoque plus offendiculi, plus periculi & molestiæ potest creare animæ ac conscientiæ, sine spe remedii aut respicientiæ, quam desertio.

XI. Accedit saniorum gentium usus, qui etiam cum naturali ratione convenire, videtur. Si enim naturalis æquitatis est, ut frustra alleget & ab adversario servari petat contractum is, qui eum non servavit ipse, ut dicitur *in l. 21. C. de transact.* Tum etiam certè conjunx nocens indissolubilitatem, ut effectum matrimonii, allegabit frustra, frustra promissis, fortè coram facie Ecclesiæ publicè factis stare petet, cum ipsa contra naturam matrimonii agat, ipsa à sua parte factis promissis satisfacere recuset. Contra naturam conventionis mutuæ & συναλλάγματι est, ut pars vinculum, quod ipsa contempsit, rupit, ad adstringendum aliam usurpet. Nullam æquius edictum est quam ut quod quisque juris in alium usurpaverit, hoc utatur ipse. Si ergo Vir compedes societatis conjugalis abjecerit, quo modo tenebitur uxor? & vice versa.

XII. Accedunt per tot centenos annos, à tot tamque piis

H

Impe-

Imperatoribus, inter tot consilia, inter anxiam religionis sollicitudinem, innumeris patribus consentientibus, aut saltem adversa non docentibus, datae, observatae leges. Qui Imp. in hac causa sacra suos etiam adhibuisse Theologos censendi: quod argumentum amplissimè tractat Selden. *de uxore Hebr. sub finem.* Hæc obiter notata sunt quæ mihi probabile faciunt, præter adulterium & malitiosam desertionem, duas istas superiores vel similes causas posse tales induere qualitates, ut matrimonii etiam exinde dissolvatur vinculum. Quod ipsum & magni nominis Theologos & Jctos sine ulâ heterodoxiæ nota sentire, ab ipsis etiam quandoque *Ponficibus* approbatum fuisse video.



MEDITATIO VI. ad Cap. 6.

1. Feudor.

§. 1.

Quin etiam si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes, masculi & foeminae id retinere possint: relicto masculino, ulterius foeminae non admittuntur.

Exegesis.

IRita est ad hunc textum quæstio, an foemina illa, quæ ratione investituræ (foeminas aliàs regulariter in feuda non succedere tralatitium est) successura fuerat, in feudo à masculino, cujus potiores sunt partes exclusa, si masculus is postea moriatur, neque alius sit qui foeminae obster, tum ad feudi successionem admittatur? Communissima DD. sententia est foeminam semel exclusam
semper

semper esse exclusam. Atque ita in Camera Imperiali & aliis iudicatum esse Prisci testantur & Neoterici infiniti; inter hos Geil. 2. *obs.* 148. Mynf. 5. *obs.* 74. ubi ferè piaculum, ait, ab hac sententia recedere. Tilmann. *decis. Cameral.* 15. n. 9. & 2. *decis. Cameral.* 43. n. 2. facit ad prædicta Auctor præjudiciorum Cameral. sub rubrica *feudum*, v. 7. Scip. *decis. Spirens.* 155. in fin. Casp. Klock. *not. Cameral.* 138. n. 14. omnes Cameralium rerum observatores accuratissimi, quibus accedit Carpz. *disp. feud.* 5. *obs.* 57. Rosenth. *de feudis cap.* 7. *concl.* 44. n. 13. ibique alii plurimi. Quoniam tamen non pauci id quoad veritatem theoreticam negatum eunt, dilucidis argumentis sententiam in foris receptam juris etiam rationibus convenire probabo.

Primò quidem, omnium firmissimum hujus rei fundamentum in *c. 6. n.* positum puto. Relictò masculò foeminae non admittuntur. Quid clarius? At excipi solet; nisi masculus ipse etiam decedat, & sic dicendum sit foeminam ab actu succedendi, non excludi à jure. Replico

I. Non admittendam fictitiam distinctionem quam nullus cantat textus *l. 8. ff. de publ. in rem actione*. Hæc autem nullo in textu exprimitur.

II. Tum & utrumque distinctionis membrum respuit textus. Actualis enim successio admittitur, concurrente masculo, omnibus id dantibus adversariis. Potentia autem succedendi apertè tollitur per vocabula: *Fœmina ulterius non admittitur*. Si autem decedente masculo locus rursus pateret Fœminæ, tum admitteretur ea ulterius, contra textum expressum. Atque hæc textus explicatio uti clarissima est, ita etiam in casu obscuritatis tenenda esset ob obtentam in foro receptionem *arg. l. 34. ff. de R. l. ibi semper sequendum quod in Regione frequentatur*.

Secundò, firmatur hæc sententia hæc ratione: quod qui feudum adquisivit pro se & descenditibus suis masculis & foeminis, censeatur potissimum prospexisse descenditibus suis: At foemina in casu nostro non ascendenti sed fratri succederet.

Tertidò, jus semel extinctum reviviscere non potest *l. 3. §. Si capite*

capite ff. de Operis Libertorum l. in rem actio ff. de R. V. L. Item si ex eod.
 §. Arbor ff. de adq. Rer. domin. l. Inter stipulationem §. faciam ff. d. Verb.
 Oblig. Jus autem fœminæ extinctum esse superius manifestissimum feci.

Quartò, fœmina per statutum exclusa semel per Masculum à
 bonis allodialibus, perpetuò communiter censetur exclusa, Gail. 2. obs.
 148. n. 4. Multo magis in feudibus, à quibus per regulam arcetur.

Quintò, natura feudorum est, ut Fœminæ non succedant c. 1.
 §. fin. de success. feudor. et si feuda pro se & hæredibus suis accepta sint.
 d. §. fin. & c. 1. §. hoc autem notandum, de Hu qui feud. dare possunt.
 textus. in cap. 1. §. professò de lege Conradi.

Natura ergò feudorum minus lædetur interpretatione nostrâ
 excludente, quæ idèò & probanda potiùs, quam alia, quæ contra
 naturam feudorum admittit fœminas. Quod mihi ad veritatem
 theoreticam stabiliendam sufficere videtur. Sic Domino ergò feu-
 dum hoc fiet apertum, quod Carpz. d. l. extendit ad casum, ubi
 qui fœminam excluserat masculus, mox post mortem patris dece-
 serat per dist. cap. 6. §. quin etiam, juncto arg. l. 2. & 3. C. de posth.
 hæred. Instit.

Tempus hic calamum sistens plura adducere vetat, superiora
 sufficere imperat.

*Tu Lector si quid novisti rectius istis,
 Candidus imperii: si non, his utere mecum.*

SOLI DEO TRINO & Uni sit
 Laus Honor & Gloria in Æternum.

F I N I S.

*Si qua forsan in hac Disputatione vel obscure vel ambigüe
 proponuntur, ea periculo Autoris explicanda & defendenda com-
 mittuntur, ita sentit Heidelbergæ 14. Febr. 1659.*

Decanus Juridicæ Facultatis.

AB 153 876

X 2615953

2

VD 17



Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2.
 ORATIO INAUGURALIS
 EXHIBENS
 CURSUS JURIS
 EMATA

QUAE
 ANTE CHRISTO
 OPT. MAX.
 PRÆSIDE.

per contraria hujus loci obser-
 petratâ dispensatione)

PRO
 UTROQUE JURE PRIVILE-
 GII HONORIBUS DOCTORALIBUS
 ET DECENTER CON-
 SEQUENDIS

rum omnium Examine submittit
 Martii horis loco consuetis

FRIDERICUS
 ANN STEINFURTO-WESTPHALUS.

(*) (*)
 FIDELBERGÆ

II WALTERI Acad. Typogr.
 Anno c1o loc. LIX.